[9] Notandum hoc. Fortasse *sacra* et *gens* sese invicem explicant; malim tamen sacra referre ad extraneos, admissos quidem ad sacra gentilicia, non proprie tamen gentiles dicendos.

[10] Inde etiam explicari potest in sepulcro Scipionum clarissimo alios etiam Cornelios reperiri.

[11] Brisson. de form. VIII, § 186. Marini iscr. Alb. p. 66.

[12] Cic. Top. 6, 29. De sepulcris gentiliciis Graecorum v. Meyerum l. c. p. 33.

[13] Pro Arch. 9, 22 et optime ad h. l. Schol. Bob. p. 358. „*Q. Ennium superior Africanus — communicato sepulcri honore dicitur in maiorum suorum numerum redegisse.*“

collegiorum communia sepulcra inveniuntur [14], haec tamen eiusmodi sunt, ut ad gentes neutiquam pertineant. Contra Atticorum ὁμοτάφους, qui in Solonis lege in iis collegiis collocantur, quorum leges confirmantur, si de iis rebus agunt, propter quas constituta sunt, non sine quadam specie veri huc trahere possis.

CAP. II.

DE COLLEGIIS OPIFICUM.

§ 4.

Solebant maiores nostri, cum de collegiis agendum esset, decepti eo, quem ipsi videbant, rerum statu maximam eius disputationis partem collocare in collegiis opificum, ad quorum formam reliqua conformarent [1]. Tum qui primus post Niebuhrium ad hanc rem tractandam accessit Dirksenius [2], inverso ordine collegia opificum in imitationem sacrorum instituta facit, quae scilicet Urbe longe antiquiora a Tuscis derivata essent [3]. Sed cur, quaero,

[14] v. cap. V.

[1] Libros citare supervacaneum est; habes aliquot apud Odericium dissertt. p. 62 not.

[2] l. c. p. 8.

[3] Ita factum est ut collegia quoque solemnem decursum per tres

unum genus collegiorum ex altero repetendum est? cur utrumque sua propria origine carebit? quo facto necessario paene alterutri vis inferenda est. Mihi longe alia ratione similitudo, quae intercedit inter diversa collegiorum genera, casui tribuenda esse videtur, cum principaliter ea nihil fere haberent commune. Ceterum de collegiis opificum brevissime agemus, cum fabulis somniisque indulgere non vacet.

Fabulosa antiquitas collegiorum institutionem refert ad Numam, fortasse etiam ad Servium Tullium ordinaria repetitione. Flor. I, 6: a „Servio Tullio populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, curiis [4] atque collegiis distributus summaque regis sollertia ita est ordinata res publica, ut omnia patrimonii dignitatis aetatis artium officiorumque discrimina in tabulas referrentur [5]." Plin. XXXIV, 1 (vetustas) „aequalem Urbi auctoritatem" (aeris) „declarat, a rege Numa collegio tertio aerariorum fabrum instituto." Plin. XXXV, 12. „Numa rex septimum collegium figulorum instituit." Plutarchus (Num. 17) cum Sabini et Romani inter se dissiderent, Numam eos coniunxisse ait *κατὰ τέχνας διανομῇ τοῦ πλήθους*; ut enim generum contraria studia tolleret, *ἔγνω κατατεμεῖν τομὰς πλείονας τὸ σύμπα πλῆθος — — ἦν δὲ ἡ διανομὴ κατὰ τὰς τέχνας, αὐλητῶν, χρυσοχόων, τεκτόνων, βαφέων, σκυτοτόμων, σκυτοδεψῶν, χαλκέων, κεραμέων· τὰς δὲ λοιπὰς τέχνας εἰς ταὐτὸ συναγαγὼν ἓν αὐτῶν ἐκ πασῶν ἀπέδειξε σύστημα.* — Haec si expendimus,

---

populos sive tribus adimplerent. Vulgo enim eorum origo inde a Gaio repetitur a Graecis; Heineccius deinde ridiculis argumentis ea vindicat Sabinis. Tertius venit Dirksenius, ne Etrusci suo iure defraudarentur!

[4] *Centuriis* cj. Huschke S. Tull. p. 149 n. 62. Apud seriores tamen non raro *curia* pro collegio ponitur. cf. etiam Liv. 2, 28.

[5] Si *collegia* haec referes ad artes militares in centuriis exercitus Serviani obvias, non repugno, quoniam differentia de auctore collegiorum ea re tollitur.

videmus Plutarchum (fortasse etiam Florum) totum populum, non opifices tantum in IX classes distribuere, quod etsi absurdum est, notandum tamen, cum inde nonum collegium ortum esse videatur. Cum enim Plutarchus hanc divisionem totius rei publicae esse opinaretur, octo vero tantum collegia eaque certa apud auctores inveniret, ut sententiam suam aliquatenus firmaret, adiecit nono loco generale omnium artium collegium quod ex sententia sua contineret agricolas reliquosque cives. Haec explicatio cui non placebit, ad collegium magnum (Larum et imaginum domus August.) certe cum Heineccio confugere non potest[6].

Collegia Numae conventus et sacra communia habuisse Plutarchus l. c. tradit: *κοινωνίας δὲ καὶ συνόδους καὶ θεῶν τιμὰς ἀποδοὺς ἑκάστῳ γένει πρεπούσας*; quem locum in rebus publicis tenuerint, ab ipso certe non edocemur neque aliunde res clare apparet. Dirksen ait: „*Der römische Staat vergönnte ursprünglich lediglich den Gewerben, die den Bedürfnissen des Kriegs und des Gottesdienstes zunächst fröhnten, seinen unmittelbaren Schutz und eine selbstständige Communalverfassung.*" Cogitavit de opificibus in exercitum Servianum receptis, quos solos rem publicam habuisse inde minime sequitur, quod suffragium soli habebant. Mihi non dubium est octo illa collegia eodem fere iure fuisse, ut a populo confirmata sibi ipsa leges quas vellent ferrent. Sed primum paucis videndum est de loco quem opifices in comitiis centuriatis obtinebant[7].

Inter classes primam et secundam interiectae erant centuria fabrum tignariorum et centuria fabrum aerariorum sive, ut Dionysium (VII, 59) sequamur: *δύο λόχοι τεκτόνων καὶ χαλκοτύπων καὶ ὅσοι ἄλλοι πολεμικῶν ἔργων ἦσαν χειροτέχναι*, unde factum est, ut modo primae (Liv.), modo

[6] Dirksen l. c. p. 21. Pertinet enim ad tempus Imperatorum.

[7] Locos quos cito omnes norunt: Liv. I, 43. Dion. IV, 17. VII, 59. Cic. de rep. II, 22. Sequor praecipue Huschkium egregie quae diversa traduntur conciliantem (*Verf. des S. Tull.* p. 148.)

secundae classi adiicerentur (Dion.), modo denique ab optimis auctoribus fabri tignarii primae (Cicer.) itaque aerarii secundae attribuerentur; factum etiam, ut centuriae fabrum in *seniores iunioresque* dispertirentur; cum enim fabri non separatim inter utramque classem sed cum classibus vocandi essent (molestum enim videbatur duabus centuriis tantum tribuere), constitutum est ut prior centuria cum senioribus primae classis, altera cum iunioribus secundae vocaretur [8]. Unde Dionys. (IV, 17): *ὁ μὲν τοῖς πρεσβυτέροις ὁ δὲ τοῖς νεωτέροις ἀκολουθῶν λόχος.* — Eadem plane ratione statuendum est de duabus centuriis *liticinum* (Cic.; *tubicinum* Liv.) *cornicinum* sive secundum Dionysium (IV, 17): *σαλπιστῶν δὲ καὶ βυκανιστῶν καὶ τῶν ἄλλοις τισὶν ὀργάνοις ἐπισημαινόντων τὰ παρακλητικὰ τοῦ πολέμου*, quas Dionysius quartae, Livius quintae classi tribuit et ille itidem in seniores iunioresque dispertitur.

Haec si componimus cum collegiis opificum a Numa rege institutis, centuriae opificum cum collegiis minime conveniunt; haec enim ad omnes operas pertinent, illae ad eas tantum quae usibus bellicis inservirent. Nam fabri tignarii et ferrarii etsi duo collegia etiam constituunt [9], liticinum et cornicinum duae centuriae plane recedunt a collegio *αὐλητῶν*, quorum, si tibicinum nomine omnes qui musicis instrumentis operam darent continebantur, genera ordinesve erant; sin vero, quod malim, *αὐληταὶ* Plutarchi iidem sunt ac *collegium tibicinum et fidicinum Romanorum qui sacris publicis praesto sunt* [10], liticines et cornicines a tibicinum collegio plane separandi sunt. Cui opinioni favet *collegium liticinum cornicinum* in lapide [11] obvium.

---

[8] Iuniores enim ante seniores suffragia ferre solebant, quod et militaris ratio et multarum praerogativarum exempla docent.

[9] Tamen cum in centuriis non essent nisi *πολεμικῶν ἔργων χειροτέχναι*, multi esse potuerunt in collegiis qui centuriati non erant.

[10] Orell. 1803. 2448. Grut. 269, 2. Heineccius de coll. c. I. § V.

[11] Orell. 4105.

De operariis igitur in Servianum exercitum relatis omnino abeundum est, si quaerimus de loco collegiis opificum in rebus publicis apud Romanos concesso. Sed id ipsum quaeritur, an quaerere liceat; est enim altissimum de hac re apud auctores silentium. Haec fere habui quae de opificum collegiis dicerem.

Tribus initio solos rusticos complectebantur; ne urbanis quidem exceptis. Initio enim singulis Urbis domibus heredia singula adiecta fuisse consentaneum est, ut aedificia urbana non essent nisi agrestium villae. Tribubus constitutis placuit, ut etiam plebs operaria atque, cum fundi aut a dominis ipsis aut a servis clientibusve colerentur, solis operis mercenariis destinata, suas partes suamque constitutionem haberet. Ex iis igitur artibus, quae tum in usu erant neque a familia exercebantur, octo collegia constituta sunt cautumque est, ne *ordo collegiorum*, quem cum *ordine tribuum* recte compones, mutaretur neve nova opificia reciperentur. Ita *fabri aerarii* tertium, *figuli* septimum collegium habebant; reliqua sex erant collegia tibicinum, aurificum, fabrorum tignariorum, tinctorum, sutorum, fullonum. Certe hae artes eae sunt, quae primum a certis generibus hominum exercentur; pistores usque ad Persicum bellum annis ab U. c. super DLXXX Romae non fuisse Plinius refert [12]. Sed collegio etiam pistorum constituto, quod saepissime memoratur, tamen non auctus est numerus collegiorum in ordinem receptorum. Ne tamen putes nova collegia minus licita fuisse, privilegia tantummodo antiquis illis permissa, quae maxime in honoribus constitisse exemplo tibicinum in aede Iovis epulantium [13] docemur, recentioribus videntur denegata. In summa non multum interfuisse puto inter collegia Numae eaque quae postea addita sunt; sed scriptorum testimonia, ut dixi, plane

[12] H. N. L. XVIII. c. 11.
[13] Liv. IX, 30 al. Dirksen l. c. p. 20 n. 56.

deficiunt; quod facit ut hic de collegiis opificum agere desinamus, monito tamen lectore non pauca quae infra cap. V. de collegiis sub Impp. dicentur ad ea quoque pertinere.

CAPUT III.

DE COLLEGIIS SODALICIIS.

§ 5.

Ventum est ad corpora civilium turbarum causa instituta sive sodalicia, quo nomine ad id genus collegiorum significandum utemur[1]. Quae etsi semper quodammodo in

---

[1] *Sodalicium s. collegium sodalicium* (adiective usurpato hoc vocabulo, ut v. gentilicii al.) proprie dicitur collegium ad turbas in civitate movendas constitutum. Illud verbum ita in usu fuisse notissimum est ex lege Licinia de sodaliciis; sodalium etiam nomen criminosum esse Cicero dicit (pro Planc. 19, 46), quanquam paullo ante locutus de consensione, quae honeste magis quam vere sodalitas nominaretur (c. 15 § 37.) Collegium sodalicium legitur in Digestis l. 1. pr. D. h. t. XLVII, 22: *mandatis principalibus praecipitur praesidibus provinciarum ne patiantur esse collegia sodalicia* (ἑταιρικὰ συστήματα Basil.). Fuerunt qui *collegia* expungerent, (Savigny Syst. II, 255 not k.) sed male; vide lapidem apud Orell. 4947 *schola — consacrata Silvano et collegio eius sodalic*(io), unde eam locutionem non semper ad crimen pertinere intelliges cf. Orell. 2402. 2404. Convivium etiam dicitur *sodalicium* ad Herenn. IV, 51 init. coll. Catull. 98. *fraternum sodalicium*.

usu esse debuerunt, latissime tamen serpebant plurimumque poterant ultimis temporibus liberae rei publicae. Praemittendus tamen adhuc videtur de iure coeundi legumque sibi ferendarum apud antiquos locus generalis, qui quanquam proprie in principio totius disputationis collocandus videbatur, non temere tamen a nobis huc reiectus est, ut fundamento demum aliquo posito priscorum collegiorum ius explicaremus; quo iam carere non possumus ad universam sodaliciorum rationem recte percipiendam.

Duobus istis collegiorum antiquitus institutorum generibus, sacrorum gentiliciorum et opificum minime tota collegiorum causa continetur; neque ita res absolvi potest, ut certis quibusdam aliis generibus additis ad plenam et perfectam collegiorum notitiam perveniamus. Ius coeundi fuit antiquis temporibus omnibus concessum, ut tot collegiorum genera fuisse statuendum sit, quot causas licitas animo comprehendas, id quod iam est comprobandum.

Primum nulla lex invenitur qua ius coeundi sublatum sit; quae res etsi nihil accederet (accedunt autem alia et gravissima documenta) satis sufficeret. Sunt quidem [2] qui allegant legem ex XII tabb.: *ne quis in urbe coetus nocturnos agitet*, legemque Gabiniam: *qui conciones* (al. *coitiones*) *ullas clandestinas in Urbe conflaverit, more maiorum capitali supplicio multetur* [3]. Ut tamen turbae

[2] v. c. Trekell. ad Brisson. selecta opp. p. 23 not. d.

[3] Utraque lex si unius Porcii Latronis rhetoris (decl. in Catil. c. 19) fide niteretur, admodum suspecta esset (etsi Dirksen Zwölftafeln tab. VIII. fr. 26 priorem recepit). Sed Livius (XXXIX, 15) legem Gabiniam confirmat. Verba eius sunt fere: „*maiores vestri ne vos quidem* (*nisi ad comitia centuriata aut tributa aut ad concionem a magistratu convocatam*) *forte temere coire voluerunt et ubicunque multitudo esset, ibi et legitimum rectorem multitudinis censebant debere esse.*" Ideo nemo privatus concionem convocare potuit, nisi a magistratu daretur. — De coetibus nocturnis vide etiam Liv. II, 28. — Dirksenius in add. p. 746 ad hanc legem XII tabb. refert verba schol.

nocturnae concionesque totius populi a privatis vocatae maxime vetitae essent, ideo collegia nullo modo impediebantur coire. — Confirmatur generale coeundi ius etiam legibus iis, quae certa collegiorum genera tollebant; ita anno U. c. DLXVIII cultoribus Bacchi non solum Bacchanalia habere interdictum est, sed etiam quaestio capitalis de clandestinis coniurationibus decreta [4]; qua in re distinguendae videntur coitiones omnium qui Bacchum colebant a singulis collegiis in Bacchi honorem institutis et ad certum Bacchanal pertinentibus. Contra haec inprimis SCtum quod hodie exstat factum est [5]. Denique Cicero in Corneliana [6]: „*Quid ego nunc*, inquit, *tibi argumentis respondeam posse fieri ut alius aliquis Cornelius sit qui habeat Philerotem? [Quasi ignora]res* [7] *vulgare nomen esse Philerotis, Cornelios vero ita multos ut iam etiam collegium constitutum sit*," et ibi Asconius: „*Frequenter tum etiam coetus factiosorum hominum sine publica auctoritate malo publico fiebant; propter quod postea collegia SCto et pluribus legibus sunt sublata praeter pauca atque certa.*" Id est ante SCtum de quo infra dicendum erit collegia ea quoque quae nulla publica auctoritate uterentur [8] non minus licita fuisse et ius coeundi ad id tempus nullis finibus fuisse circumscriptum. — Itaque satis habuimus collegiorum liberae rei publicae genera quaedam indicare, quae nobis speciali consideratione digna viderentur; aliis omissis, quae

---

Iuv. II, 3 *sacra Bacchanalia ex iis condemnata sunt;* recepta coniectura Pithoei *ex XII* sane audaci. Legerim duplici geminatione: *exxiisc* (i. e. *ex XII S. C.*) *condemnata sunt,* sive cum ed. noviss. *ex S. C.*

[4] Liv. XXXIX, 8—18.

[5] Cf. v. 11 *neve pecuniam quisquam eorum comoinem (h)abuise velet* coll. Liv. XXXIX. 18 in f.

[6] ap. Ascon. p. 74 Or.

[7] Ita scribendum. Cf. Seneca controv. L. III praef.: „*res dicebat omnium sordidissimas — — philerotem, spongias.*"

[8] Nam saepe confirmabantur a populo. Liv. II. 27. V, 50 al.

in rebus sacris inprimis interdum commemorantur. Ita collegia fuerunt non epulorum causa sed ad ludos faciendos constituta, ut in SCto: *ludi Capitolini fierent quod Iupiter O. M. suam sedem — tutatus esset collegiumque ad eam rem M. Furius dictator constitueret ex iis qui in Capitolio atque arce habitarent* [9]. Eiusdem naturae sunt collegia compitalicia, quae infra in lege Clodia diligentius examinabuntur.

De iure coeundi satis dictum est; videamus quid licuerit ita consociatis quamque potestatem leges iis permiserint.

Sodalibus, ait Gaius [10], *potestatem facit lex* (*XII tabularum*) *pactionem quam velint sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant.* Quinam hic dicantur sodales, quaeritur. Cum postea quibus verborum proprietas curae est, sodales ad sacras consociationes tantum referant, eundem usum hic etiam locum habere dixeris. Sed obstat Gaii interpretatio: *sodales sunt qui eiusdem collegii sunt quam Graeci* ἑταιρίαν *vocant* [11] et comparatio legis Solonis ab eodem instituta; ibi enim pagi, *σύσσιτοι, ὁμόταφοι, θιασῶται* cum iis qui *ἐπὶ λείαν ἢ εἰς ἐμπορίαν* proficiscuntur eodem iure sunt. Ut igitur de interpretatione verbi a XII tabb. adhibiti non constet, Gaii verba ad omnia collegia pertinere certum est neque ulla ratio reddi videtur posse, cur collegia opificum legum ferendarum iure caruerint sacris sodalitatibus concesso. Ita postea quoque cum collegia nisi publice confirmata licita non essent, licitis hoc ius plene conservatum esse dubium non est, quod Basilicῶν

---

[9] Liv. V, 50. cf. c. 52. Cic. ad Qu. fr. II, 5.

[10] l. 4. D. de coll. cf. Dirksen Zwölftaf. VIII, 27.

[11] Dio Cass. XXXVIII, 13 *τὰ ἑταιρικὰ κολλήγια ἐπιχωρίως καλούμενα.* Recentiores Graeci *collegium* vertunt *σύστημα*; ita Basilica et Lydus de mag. I, 50. Cf. supra p. 32 not. 1. *collegia sodalicia* = *ἑταιρικὰ συστήματα* Bas. *Collegium, corpus, universitatem* docte, ut solet, comparavit Savigny Syst. II, 260 sq.

auctores in hoc loco vertendo ita expresserunt: *ταῖς θεμιταῖς ἑταιρείαις θεμιτὰ* (i. e. quae publicam legem non corrumpant) *συμφωνεῖν ἔξεστιν* [12]. Recte igitur in legibus collegiorum superstitibus adhuc ius esse dicitur quod *placuit universis* [13].

Sane collegia igitur latissime patuerunt, cum omnes ad omnia coire possent et legem quam vellent sibi ferre, modo publica lex non obstaret. Quod adiicere ne necessarium quidem erat; est enim summa regula iuris *ius publicum pactis privatorum mutari non posse* [14]. Quae etsi recte dicuntur, tamen cum temperamento aliquo accipienda sunt, quod iam proponam.

Hoc loco paucis monendum est, quantis difficultatibus Romani ius per alium acquirendi implicaverint. Gaius [15] *olim,* inquit, *q[uo tempore erant leg]is actiones, in usu (fuit) alter[ius] nomine agere non licere [nisi] pro popu[lo et libertat]is [causa].* Corpora et omnino universitates exceptas non esse constat [16]. Hic iudiciorum ordo mansit usque ad legem Aebutiam, Cicerone quidem antiquiorem, sed aliquanto post Cviros institutos latam, quod VIto demum seculo factum est [17]. Quo sublato cum res ad formulas pervenisset, nihilo magis corpora ad agendum admittebantur; nam cognitorem dare, quod initio licuit tantum maioribus LX annis aut morbo (sontico) impeditis [18], postea, id est tempore Ciceronis [19], omnibus, cum esset

---

[12] L. LX tit. 32 c. 4. (T. VII, p. 540 Fabrot.)

[13] in legibus collegii Dianae et Antinoi et coll. Aesculapii et Hygiae infra citandis.

[14] l. 38 D. de pact. II, 14 et saepius.

[15] IV, 82 Lachm.

[16] Zimmern Rechtsgesch. III, p. 464.

[17] Huschke in Richters krit. Jahrbb. 1839 p. 480 plenius quam in eiusdem libro Verf. des Serv. p. 605 sq. Cf. Zimmern Rechtsg. III, § 35 not. 1.

[18] ad Herenn. II, 13, 20.

[19] pro Rosc. Com. 18 init. „(petere) alteri nemo potest nisi qui cognitor est factus." Zimmern l. c. p. 468 haec perperam intellexit.

solemne negotium civile, legis actio sensu latiori, a domino litis praesente adversario peragenda, ab ea re universitas sua natura aliena erat [20]. Procuratorum vero, qui saepe et ipsi a Cicerone memorantur, longe alia ratio est neque ii alteri petunt, sed sibi; nam personam domini non repraesentant. Cum autem quivis etsi alienissimus pro me solvere possit, litis vero contestatio pro solutione sit, non prohibetur procurator ad reum defendendum accedere, si actor consentit [21], et iudicio accepto reum liberat [22]. Cum e contrario nemo meo nomine exigere possit neque procurator neque alius, procurator cum agit, non deducit in iudicium obligationem meam, ut mihi res integra sit; itaque cavebit me ratum habiturum, qua re debitor meus tutus est [23]. Ita eo perventum est ut quod iuris ratio negabat effectu obtineretur: potuit enim alius pro me et solvere et exigere. Nam qui meo nomine iudicium acceperat, mandati actione vel negotiorum gestorum a me potuit repetere; qui vero quod mihi debebat alii solverat, si se in iudicium vocarem, cautione de rato sibi prospexerat, ne bis idem daret. Sed haec ad corpora non extenduntur; universitas enim cum in iure stare non posset, mandati conveniri non potuit. Neque debitor collegii iudicium accepisset, quod creditor principalis contra debitorem instituere non potuit. Quibus omnibus expensis constat corporibus omnibus personam standi in iudicio secundum iuris Romani principia plane defuisse, exceptis scilicet privilegiis, vel, quod idem est, ea omnino personam non habuisse. Persona enim esse non potest sine commercio, id est acquirendi obligandique potestate; quae inanis est sublata vindicatione et condictione [24].

---

[20] Zimmern l. c. p. 469.

[21] Consentire eum necesse erat, si defensor iudicatum solvi satisdabat.

[22] Keller Litiscontest. p. 350 sq.

[23] Hoc Gaii tempore ita obtinuit Keller l. c. p. 304 sq.

[24] Dissentit Dirksen Abh. l. c. p. 110 qui servos et magistros

Confirmatur haec argumentatio, quam ex summis principiis iuris Romani traximus, egregia ipsius Dirksenii observatione, qua agrum consecratum non Deorum collegiorumve fuisse, sed publicum rerum sacrarum causa sacerdotibus utendum concessum comprobavit [25]. Ita Dionysius [26]: ὅσην τε, inquit, τὸ κοινὸν ἡμῖν ἐκέκτητο γῆν — διαμερισθῆναι χωρὶς τῶν ἱερῶν κτημάτων ἐξ ὧν αἱ θυσίαι τοῖς θεοῖς ἐγίνοντο. Quod ut verum est de agris, ita servi quoque collegiorum sacrorum publica auctoritate institutorum publici fuerunt. Cuius rei complura exempla collegit Marinius [27] quorum unum apponam: *Antiocho publico p. R. Aemiliano* [28] *pontificali.* Ita *publici sodalium Titium*, *Augurum*, *fratrum Arvalium*, *pontificum*, *VIIvirum* al. in lapidibus saepe memorantur. — Quod de servis vidimus, de arca quoque communi collegiorum dicendum est, quae etsi discreta a publica (ita arca pontificum notis-

---

rerum publicarum antiquissimis etiam temporibus earum personas sustinuisse arbitratur in iis scil. negotiis, quae per alium administrari possent. Sed quaenam fuerunt haec negotia? unde porro servi corporis, per quos acquireretur, ipsi acquirebantur? Dirksen in tota disputatione sua a populo ad reliquas respublicas argumentum ducit, sed vix recte, populus enim a Gaio diserte excipitur. — Recte, paucis tamen hunc locum tetigit Savigny (Syst. II, 246.)

[25] l. c. p. 114. *Savigny* Syst. II, 253. Adde Aggeni verba p. 72 Goes.: *Sunt loca publica complura, sed ex his quaedam loca privatam exigunt defensionem* — — *Quae* (scr. *quaedam*) *nullo modo abalienari possunt a republica, ut si quid in tutelam templorum aut balnearum adiungitur.*

[26] Arch. III, 29.

[27] Atti I, p. 211.

[28] Ib. p. 213. Servi publici plerumque duo nomina s. cognomina habent; ita *Graphicus Marcianus*, *Helius Affinianus*, *Hermes Caesennianus* v. Fabrett. inscr. dom. p. 336. Unde explicandi sunt *Bruttiani* qui servorum vice magistratibus ministrabant Gell. X, 3. Quod non adnotavissem nisi Orellius ea re saepe deceptus esset. Vide v. c. 2787. 2941.

sima est) tamen populi fuisse putanda est, ideo tantum separata ut sacra publica inde fierent. Quod confirmat aliquatenus Gellii auctoritas virginis Vestalis intestatae pecuniam *in publicum* redigi referentis, quam arcae virginum Vestalium saepissime in titulis sepulcralibus memoratae illatam esse consentaneum est [29]. Quod si fuerunt collegia, quibus persona tributa esset, haec sane omnium primum admitti debuerunt, ut reliqua collegia, de quibus tacetur, non meliori iure fuisse recte colligatur. Sane res eorum communes non populi erant, sed singulorum collegiatorum pro sua cuiusque parte.

Itaque collegia olim eodem plane iure erant quo fuerunt societates neque quicquam inter ea intererat nisi quod hae ad tempus constitutae erant, illa in perpetuum. Ita in Digestis [30] : „*Societas coiri potest — in perpetuum, id est dum vivunt*" et alio loco [31]: „*Nulla societatis in aeternum coitio est*," cuius rei explicatio mihi melius peti posse videtur ex eo, quod antiquitus collegium nulla re differebat a societate nisi causa perpetua, quam ex continuo consensu omnium cum omnibus, quem in societate ICti requirere solent. Societatem perpetuam esse posse ideo negabant, quod omnes societates perpetuae erant collegia. Notabilis est hoc loco lex Solonis, ex qua sacra civiliaque communia non alio iure fuerunt quam quo societates ad negotiationem praedationemve constitutae: non enim erant communia illa nisi societates in perpetuum contractae et lex collegii erat lex privata legi societatis omnino aequiparanda.

Ita quae supra proposuimus olim apud Romanos omnibus ius coeundi legumque sibi ferendarum fuisse satis explicata temperataque videntur esse. Societates enim

---

[29] Gell. I, 12. Dirksen l. c. p. 100. 117.
[30] l. 1. pr. D. pro soc. XVII, 1.
[31] l. 70 eod.

privatae semper coierunt coibuntque sine publica auctoritate; quod ius olim non minuebatur cum ex causa perpetua societas constituebatur. Hoc tamen negari non potest liberam hanc coeundi facultatem periculosissimam fuisse in civilibus temporibus, ut cohibere eam, coercereque ex re videretur esse. Sed hac sanctione ius ipsum non immutabatur; collegia excepta seu licita ideo non magis personam habebant, quam hoc tempore ubi coetus sociales publica confirmatione indigent, omnes ea adhibita personae efficiuntur. Ita multis locis constitutum est ne cives academici librorum actorumque publicorum legendorum societatem instituant nisi re a magistratu competente permissa; nemini tamen hanc societatem iuris personam dicere in mentem venit. Posteriori tempore habent quidem omnia collegia licita personam standi in iudicio, hoc vero non ex eorum natura sequitur, sed ex speciali attributione repetendum est. Quod ius qua ratione acceperint, infra opportunius dicetur; nos iam redeamus ad huius capitis argumentum [32].

§ 6.

Cum rerum ordo apud Romanos immutaretur et libera rei publicae forma in regnum sensim abiret, Romae quoque malorum hominum consociationes illae, quae turbas civiles et sequi et incitare rursus solent, saepissime fiebant. Quae etsi in rebus Romanis enarrandis neutiquam ne-

---

[32] Dirksen ita fere rem explicat: collegia licita i. e. publica auctoritate instituta semper personam habuisse; illicita autem a populo tolerata esse usque ad SCtum, personam vero nunquam habuisse (vide e. c. p. 46). Sed illicita collegia quae tolerarentur est contradictio in adiecto; nemo praeterea negabit antequam ius coeundi tolleretur omnia collegia licita fuisse, etiam publica auctoritate haud confirmata.

gligendae sunt (quanquam exiguam tantum notitiam earum ad nos pervenisse admodum dolendum est): tamen enumerare singulas factiones earumque vim in rebus publicis moderandis explicare et per se desperata res est et a re nostra plane abhorret. Nos ad rem sodaliciariam qua ratione instituta sit explicandam accedemus, cum effecerimus ut quanta pestis reipublicae sodalicia fuerint exemplis aliquot cognoscatur. — Q. Cicero ad fratrem consulatum petentem c. 5: *Quod si satis grati homines essent, haec omnia tibi parata esse debebant* (scil. subsidia in petitione consulatus) *sicut parata esse confido: nam hoc biennio quattuor sodalitates civium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti C. Fundani, Q. Galli, C. Cornelii, L. Corvini* [1]. *Horum in causis ad te deferundis quidnam eorum sodales tibi receperint et confirmarint scio: nam interfui.* Haec verba, quae non parum etiam conferunt ad legem, quam Cicero sibi se iam pridem tulisse asseverat [2] de civium periculis defendendis, recte interpretandam, non solum ostendunt quantopere haec labes in intimos recessus rerum publicarum manaverit, sed etiam qua singulari impudentia ne celata quidem sit haec turpitudo [3]. Accusationes etiam ut defensiones a sodalitatibus suscipiebantur: Cic. ad Qu. fr. III, 1, 5: *Gabinium tres adhuc factiones* [4] *postulant. L. Lentulus flaminis filius —, Ti. Nero cum bonis subscriptoribus, C. Memmius tr. pl. cum L. Capitone.* Memorabilis denique narratio Dionis, qui postquam coitionem

---

[1] Cf. Drumann V, 374. 408. 409.

[2] pro Mur. 3, 5.

[3] Cic. ad Qu. fr. III, 1. negat se in coitione candidatorum interfuisse; *eiusmodi enim pactiones in ea factae sunt ut nemo bonus interesse debuerit.* Interfuit videlicet aliis multis, quas non ita turpes fuisse gloriatur.

[4] Ita Ascon. in Corn. p. 75 *coetus factiosorum hominum* commemorat. Factio saepe de collegio illicito usurpatur. Fest. epit. v. factio p. 65 Lind. Herald. ad Tertull. apolog. p. 147.

triumvirorum anui LX a. Chr. retulit ita pergit (XXXVII, 57): *συμφρονησάντων δὲ ἐκείνων καὶ τὰ ἑταιρικὰ σφῶν* (i. e. collegia cf. XXXVIII, 13) *ὡμολόγησαν καὶ ἐποίουν καὶ οὗτοι μετὰ ἀδείας ὅσα ἤθελον, ἡγέμοσιν αὐτοῖς χρώμενοι* [5]. De hoc sodalicio accipiendum est, quod dictus est Vatinius, cum accusaretur a Licinio Calvo de sodaliciis, *audacissimus de factione* [6], nempe IIIvirorum. Nam Calvus ut sodalis eius Catullus ab altera parte stabant, quod et carminibus amaris et obnitendo in rebus publicis testati sunt [7]. Eiusmodi hetaeriarum criminibus [8] factum esse tradit Asconius loco supra relato [9], ut senatus ius coeundi tolleret. Quod autem ratio postulare videbatur, ut transiremus ad leges contra collegia latas, id ideo distulimus, quoniam leges istae etsi praecipue factiosos coercebant, tamen multo latius patebant toto iure coeundi sublato; qua re factum est, ut proximo demum capite de iis agere placeret. Nam etsi de hetaeriis haec dixisse sufficiat, ne historici provinciam invadamus, tamen restat contigua quae plene a nobis tractanda est. Dico crimen sodaliciorum, in cuius enarratione praeter hetaerias alterum genus sodaliciorum itidem rerum novandarum causa institutum apparebit ab hetaeriis diversum.

§ 7.

Crimen sodaliciorum est species ambitus propriae quaestioni attributa. Dio Cass. XXXIX, 37. de lege Licinia:

---

[5] Cf. Drumann III, 193.

[6] Ita iungendum est. Orationis reliquias collegerunt Weichert poet. Lat. rel. p. 113. Meyer or. Rom. fr. ed. 2. p. 474.

[7] Weichert l. c. p. 129.

[8] Vide etiam Pseudo-Cic. decl. in Sallust. 5, 14: *abiit in sodalicium sacrilegi Nigidiani; bis iudicum ad subsellia attractus extrema fortuna stetit;* qui locus eadem ratione ad latrones pertinere potest ac ad turbas civiles. Ceterum certorum virorum factiones raro nominantur, etsi saepe dignoscuntur, ut Milonis et Clodii.

[9] p. 34.

πικρότερα ἐπιτίμια τοῖς δεκάζουσι [1] τινας ἐπέταξαν. Cic. pro Planc. 15, 36 *nomine legis Liciniae quae est de sodaliciis omnes ambitus leges complexus es.* — c. 19, 47. *haesitantem te in hoc sodaliciorum tribuario crimine ad communem ambitus causam contulisti.* — c. 20, 49 dicitur M. Crassus *harum ipsarum legum ambitus auctor.*

Wunder [2] Crassum praeter hanc de sodaliciis aliam etiam legem de ambitu sanxisse putat, permotus locis Dionis et postremo Ciceronis. Sed hoc verisimile non est, cum nullum eius legis vestigium unquam inveniatur [3]; neque necessarium est, nam hac etiam explicatione Cicero legem de sodaliciis in legibus ambitus collocavit, ut eadem ratione recte eam ambitus legem appellare posset. Videtur Wunderum numerus plurativus turbasse [4]; sed ut caput legis saepe dicitur lex, ita lex universa saepe *leges.* Ita *leges Atiniae, Furiae* Cic. Verr. L. I, 42, 109; *Voconiae, Atiniae leges* Cic. Philipp. III, 6, 16; *leges Iuliae* Cic. ad Att. II, 18; *legibus agrariis frumentariisque latis* Liv. ep. 71. cf. 103; *Iuliae rogationes* Tac. Ann. III, 25; *Oppiae leges* Tac. Ann. III, 33. 34; *Semproniae rogationes, Serviliae leges* Tac. Ann. XII, 60 de lege iudiciaria C. Gracchi legeque Caepionis; *Iuliae leges, Calpurnia scita* Tac. Ann. XV, 20. Quare Wunderi interpretatio reiicienda est.

Crimine ambitus tenebantur soli candidati; socii delicti a poena liberi erant [5]. Isidor. V, 26 *ambitus iudicium*

---

[1] i. e. qui ambiunt, non qui decuriant. Vide XXXVII, 29 de lege Tullia; XL, 52; LIV, 16 de lege Iulia Augusti al. Infra § 8 extr.

[2] Praef. ad Planc. p. LXXIII.

[3] *Harum ipsarum legum* etiam male diceretur, si ad aliam praeterea Cicero respiceret.

[4] Idem accidit Drumanno III, 197 et Göttlingio röm. Staatsverf. p. 439. in locis similibus.

[5] scil. ex iure Romano, quo nisi de sociis specialiter cautum erat lex ad eos non trahebatur. Heffter Criminalr. § 84 n. 2. Hodie

in eum est qui largitione honorem capit et ambit, amissurus dignitatem quam munere invadit [6]. Idem cernitur in poenis ambitus; ita in legis Corneliae u. c. DCLXXIII [7] ut magistratuum petitione per X annos abstinerent condemnati [8]; legis Calpurniae u. c. DCLXXXVII *μήτ' ἄρχειν μήτε βουλεύειν σφῶν μηδένα* [9]; legis Iuliae Augusti ut ambitus convicti in quinquennium a petitione magistratuum arcerentur [10]. Exceptum erat unum genus sociorum, divisores scilicet: Cicero pro Cornel. ap. Ascon. p. 74. „*cum hunc* (ambitum) *populus Romanus videret et cum a tribunis plebis doceretur* (eum) *nisi poena accessisset in divisores extin*(gui n)*ullo* (cod. *extinct* . . . . *ullo*) *modo posse; legem hanc Cornelii flagitabat, illam quae ex SCto ferebatur repudiabat idque iure, ut docti sumus duorum consulum designatorum calamitate.*" Item in alio frustillo Cornelianae (I, 32 Nobb.): „*repugnare, ut divisores quos honoris sui ministros esse voluerat, lege ambitus vellet infligere,*" quo loco acerbe admodum tangit C. Calpurnium Pisonem, qui legem hanc de ambitu ex SCto tulit in consulatu suo; largitione enim eum honorem adeptus est et lege ambitus ante reus factus, quam consulatum iniret [11]. Caput de

---

id tantum dubium est utrum qui alterius nomine ambiunt, auctoris poenam patiantur (Wächter Lehrb. § 225 n. 15 al.) an quod mihi videtur socii (Heffter l. c. § 529 b.)

[6] cf. l. un. § 1 D. de lege Iul. amb. XLVIII, 14. Paul. S. R. V, 30, 1.

[7] Videtur enim a Sulla rogata atque diversa a lege Cornelia Baebia anni DLXXII. (Liv. XL, 19).

[8] Schol. Bob. in or. pro Sulla 5, 17. p. 361 Or.

[9] Dio Cass. XXXVI, 21. Schol. Bob. l. c.

[10] Dio Cass. LIV, 16. — Heffter l. c. ut socios apud Romanos quoque poenae obnoxios fuisse probet, provocat ad l. 16 C. si cert. pet. IV, 2. Nov. 123 c. 2. 16. At poenae quibusdam criminis huius sociis ibi propositae non sunt poenae ambitus, sed delictorum specialium. Cf. Wunder prolegg. p. LXXIV. sq.

[11] Drumann II, 93.

divisoribus quod erat in lege C. Cornelii, quae perlata non est, nisi est receptum lege Calpurnia [12] tamen postea fortasse lege Tullia obtinuit. Cicero pro Planc. 23, 35: *qui si erat divisor — cur abs te reus non est factus? cur non eius damnatione aliquid ad hoc iudicium praeiudicii comparasti?* Sed hic quoque regula firmatur exceptione. Designatum esse eum candidatum qui ambitum fecisse dicebatur non opus erat; sufficiebat petitorem fuisse [14].

Quod de ambitu locum habet, traditur quoque de sodaliciis; quam quaestionem Cicero [15] reprehensionem iudicii de candidatis a populo Romano in comitiis lati appellat. Idem affirmant Scholia Bobiensia [16]. Male igitur Wunderus [17]: „*lex Licinia,* inquit, *ut ferretur senatus auctor fuit* (*cf. Planc.* 15, 36. 37. 16, 39 *extr.* 17, 41. 18, 44. 45.), *qui iam anno ante referente Cicerone ad Qu. fr. II,* 3, 6 *decreverat ut sodalitates decuriatique discederent lexque de iis ferretur ut qui non discessissent ea poena quae est de vi tenerentur.*" At ut omittam poenam diversam et tempus inter SCtum a. d. IV Id. Febr. prioris anni factum et legem satis longum: SCtum omnes qui rerum novarum moliendarum causa coissent [18], ita reos fecit, si non discessissent tempestive: lex Licinia eos tantum qui ambitum fecissent et quidem solos candidatos. Quare plane diversa crimina legis et SCti esse apparet.

---

[12] Quod divisorum multitudo ei obstitit (Asc. in Cornel. p. 75.) etiam alia ratione explicari potest.

[13] Hoc refero pro Mur. 23, 47 de ea lege: *poena gravior in plebem — exsilium in nostrum ordinem.* Cf. etiam Ferrat. epist. p. 54.

[14] Ita victi candidati etiam postulabantur. Cic. Brut. 30, 113. Philipp. XI, 5, 11 coll. Drumann. II, 97. Ante comitia quoque accusari potuerunt. Drum. III, 6.

[15] pro Planc. 3, 8.

[16] arg. Planc. p. 253 verb.: *ut quaereretur in candidatos.*

[17] Proleg. p. LXXV.

[18] Haec SCti interpretatio infra confirmabitur.

Crimine sodaliciorum qui tenerentur vidimus; iam videamus quid requiratur ut delictum consistat. — Sodalicia Wunderus [19] recte monuit gravissimam speciem ambitus fuisse, ut perduellionem maximum inter maiestatis crimina. Neque obstat quod interdum ob eandem rem eundem hominem et ambitus et sodaliciorum reum factum esse scimus [20]. Qui enim sodaliciorum crimini obnoxius est, plerumque ea ipsa re leviora etiam quae ambitus quaestioni relicta erant admisit.

Quaeritur autem quid accedere debuerit ut a communi causa ambitus ad sodaliciorum crimen perveniretur. Quod si Wunderum [21] audis, erat ambitus vi determinatus [22]: „*in istiusmodi comitiis in quibus candidati sodalium opera ad consequendos honores uterentur, multitudo non tam acceptis nummis quam vi cogi solebat ut candidatis honorem mandaret.*" Sequitur in ea re Sigonium [23]: „*si quis tribules decuriasset et conscripsisset ut corrumperet populum, quoniam multitudine cogere videbatur, vis videbatur; quoniam pecunia contendebat, ad ambitum pertinebat.*"

---

[19] l. c. p. LXXIV secundum Manutium.

[20] Ascon. in Milon. p. 40: *Milo postulatus est de ambitu ab Appiis — — de sodaliciis a P. Fulvio Nerato.* Cf. ib. p. 54. Cic. ad div. VIII, 2. (Messala ambitus) *absolutus est — — Relictus lege Licinia maiore* (scr. *maiori*) *esse periculo videtur.* coll. Drum. III, p. 103. Cic. pro Cael. 7, 16 *de ambitu et de criminibus istis sodalium ac sequestrium.*

[21] p. LXXIV.

[22] Quod iis certe non probabitur, qui ambitum in corrumpendo consistere putant: Wächter Lehrb. § 225 n. 16. Heffter § 529 b. Quamquam sunt qui quoquomodo magistratus captus sit modo contra leges fiat ambitum commissum dicant, ut ambitus sit etiam violentus. Sed recte plerique hoc improbant.

[23] de iudic. L. II. c. 30. p. 1784 B. Graev. coll. p. 1788.

Sed hoc plane falsum est et unus ex copia illa errorum, qui inde a Sigonio hereditario iure transmittuntur in antiquitatibus Romanis. Argumenta quae afferuntur a Sigonio satis infirma melius infra diluuntur in expositione ambitus sodaliciarii. Nullam vim in ea re fuisse locuples auctor Dio Cassius [24] testatur, ubi de lege Licinia exponit: *πικρότερα ἐπιτίμια τοῖς δεκάζουσί τινας ἐπέταξαν· ὥσπερ τοι αὐτοὶ ἔλαττον (ὅτι οὐ χρήμασιν ἀλλὰ βίᾳ τὴν ἀρχὴν εἰλήφεσαν) ἁμαρτόντες.* Violentae petitioni, qua Pompeius et Crassus consulatum anni DCXCIX adepti erant [25], opponitur ambitus largitione commissus, quem lege Licinia coercebant. Idem docemur a Cicerone ubi de universa legis Liciniae vi et sententia exponit [26]: *„hoc sensimus: cuiuscumque tribus largitor esset et per hanc consensionem quae magis honeste quam vere sodalitas nominaretur quam quisque tribum turpi largitione corrumperet"* etc. Crimen sodaliciorum igitur non erat ambitus violentus sed et ipsum totum erat in largitione, itaque a Cicerone dicitur *infinitus ambitus* pro Cael. 7, 16 cf. 32, 78. Quam largitionem non communem sed maiorem gravioremque et certa quadam ratione determinatam fuisse consentaneum est. Eam rationem exquiramus necesse est ut quid intersit inter sodaliciorum crimen et ambitus communis, recte intelligatur.

Qui auctorum de crimine sodaliciorum narrationes obiter tantum inspexerit, ad tribus id pertinere statim intelliget, Cic. pro Planc. 15, 36 *in hac re tribuaria*; id. eod. 19, 47 *tribuarium crimen sodaliciorum*: ut qui illud cognoscere velit tribuum usum in ambitione diligenter attendere debeat. Qui sane maximus fuisse dicendus est; quicquid enim a candidatis excogitatum est ad populi studia sibi concilianda, plerumque tributim faciebant vel da-

---

[24] L. XXXIX c. 37.
[25] Drum. III, 279. Dio XXXIX, 27 sq.
[26] pro Planc. 15, 37.

bant. Neque causa obscura est. Tribules enim cum vicini essent, facile convenire adirive potuerunt ad munera percipienda; deinde cum simul suffragia ferrent[27] melius erat suffragatores habere coniunctos in maiore parte tribuum, quam eundem forte suffragiorum numerum per omnes XXXV tribus dispersum. Quapropter cum in senatu a. LXIII ageretur de ambitu coercendo, postulavit Ser. Sulpicius *confusionem suffragiorum omnium*[28], id est aucto-

---

[27] Quod eo tempore etiam de centuriatis comitiis recte dicitur; erat enim tum centuria *unius tribus pars* (Cic. pro Planc. 20, 49.) cf. Q. Cic. de pet. cons. c. 8: „hos qui *apud tribules suos* plurimum gratia possunt, tui studiosos *in centuriis* habebis."

[28] Cic. pro Mur. 23, 47 *confusionem suffragiorum flagitasti, prorogationem legis Maniliae, aequationem gratiae, dignitatis, suffragiorum.* Non intellexerunt viri docti, quae de lege Manilia voluerit Servius. Est illa sine dubio *lex Manilia de libertinorum suffragiis*, quam tulit C. Manilius tr. pl. a. LXVI extremo anno LXVII post pauculos dies quam inierat tribunatum Compitalibus (Asc. in Cornel. p. 65. Drum. IV, 416.) auctore C. Cornelio tr. pl. a. LXVII. (Cic. pro Cornel. ap. Asc. p. 64. Drum. II, 613), ut libertini in iis tribubus suffragium ferrent, qua ferebant qui eos manumiserant, id est patroni tribum sequerentur, ut forum eius sequuntur. Vide l. 22 § 1 D. ad munic. L, 1, egregie correctam a Savignyo (Zeitschr. IX, 91), l. 27 eod. Ita interpretor Dionis verba XXXVI, 25: *τῷ ἔθνει τῷ τῶν ἀπελευθέρων — ψηφίσασθαι μετὰ τῶν ἐξελευθερωσάντων σφᾶς ἔδωκεν.* Sed cum M'. Lepidus et L. Tullus Kal. Ian. a. LXVI magistratum iniissent, ea lex statim damnata est SCto (Ascon. in Corn. p. 66). Iam intelligitur confusione illa suffragiorum, quam Sulpicius voluit, hanc Maniliam legem quodammodo revocari, cum liberti eodem loco essent ac patroni in suffragiis ferendis. Nam fieri non potuit quin rusticarum quoque tribuum conditio cum urbanis exaequaretur sublata suffragiorum tributim ferendorum ratione. Inde etsi Sulpicius non expressis verbis repetebat legem Maniliam, quod recte Garatonius ab eo alienum esse dixit, non sine specie aliqua id ipsum ei obiicere potuerunt, quod haud scio an in senatu ab adversariis factum sit. — Denique quid sibi velit *prorogatio* illa, non facile dictu est; fortasse

ribus Manutio et Garatonio [29], ut latis suffragiis non centuriae numerarentur, sed ut omnia centuriarum omnium suffragia confunderentur; quod graviter *homines in suis civitatibus et municipiis gratiosi* tulerunt. Ut singula proponamus, candidati fautoresque eorum populo tributim supplicabant:

Cic. pro Planc. 10, 24: *appellavi populum tributim, submisi me et supplicavi* (cum Plancius aedilitatem ambiret)

Cic. pro Mil. 9, 25 (Clodius cum P. Plautio et Q. Scipioni consulatum efficere vellet) *convocabat tribus, se interponebat.*

Suet. Caes. 41. *comitia cum populo partitus est, ut — pronunciarentur pro parte altera quos ipse edidisset. Et edebat per libellos circum tribus missos scriptura brevi: Caesar dictator illi tribui. Commendo vobis illum et illam* etc.

Auson. grat. act. p. 704 Toll.: *tribus non circumivi, centurias non adulavi, vocatis classibus non intremui.*

Mamertin. paneg. Iul. c. 16: (candidatis) *tributim omnes atque etiam singuli salutandi.*

Tributim dabantur convivia:

Q. Cic. de p. c. c. 11: *convivia facito et abs te et ab amicis* (sodalibus scil.) *tuis concelebrentur et passim et tributim.*

---

eo redit, quod senatus cum leges abrogare iure non posset, persaepe tamen abrogaret (vide Ascon. p. 57), post tale SCtum lex ipso iure rata pro inani habebatur. Quodsi igitur contrarium placebat senatui, non opus erat nova lege, sed effectu addito ad nudum ius, lex quae erat rursus pro lege observabatur. Si magnis licet parva componere, cogitent velim ICti de stipulatione quae exceptione perpetua ne petatur irrita facta mox reviviscat, si rursus convenit ut petatur l. 27 § 2 de pact. II, 14. Haec mihi videtur *prorogatio* dici posse, cum quod ipse iure valet ab impedimento liberatur. Similiter explicat Drum. V, 447 not. 62.

[29] Drumann V, 446 not. 61. rem haud intellexit.

item ludi gladiatorii [30]. :

Cic. pro Mur. 32, 67. *SCtum — — si gladiatoribus vulgo* [31] *locus tributim* (esset datus), *contra legem Calpurniam factum videri* — — c. 34, 72. *spectacula sunt tributim data — — locus et in circo et in foro* (datur) *amicis et tribulibus — quid statuetur in viros primarios, qui in circo totas tabernas tribulium causa compararunt?*

Denique pecuniaria largitio ut erat validissimum ambitionis adiumentum saepissime tributim fiebat. Pecuniae vero aut promittebantur, ut post comitia demum si candidatus tribum tulisset, promissa summa solveretur aut ante comitia tribulibus dividebantur. Illa est pronunciatio pecuniae in tribus aliquoties memorata:

ad Att. I, 16, 7 *Novi est in lege* (Aufidia de ambitu a. DCLXXXXIIII) [32] *hoc ut qui nummos in tribus pronunciarit si non dederit impune sit, sin dederit — — Dixi hanc legem P. Clodium iam ante servasse; pronunciare enim solitum esse et non dare.*

Suet. Caes. 19. *Lucceium sibi adiunxit, pactus ut is quoniam inferior gratia esset pecuniaque polleret, nummos de suo communi nomine per centurias pronunciaret.*

Cic. ad Qu. fr. II, 15 *non dico ὑπερβολικῶς: vel HS centies constituunt in praerogativa pronunciare* [33].

Cum pecunia tribulibus distribuenda erat, constitui solebat locus aliquis (saepe domus alius cuiusdam qui *sequester*

---

[30] vide caput legis Tulliae de gladiatoribus in Vatin. 15, 37. Orell. ind. leg. p. 286.

[31] Id est omnibus qui vellent tribulibus. cf. c. 35, 73. „(senatus) *num locum ad spectandum dare* (crimen putat)? *Non, sed vulgo, passim. Quid est vulgo? universis.*"

[32] Quae perlata non videtur. ad Att. I, 18, 4.

[33] Cf. pro Plancio 18, 45.

dicebatur) [34] quo candidatus nummos mitteret, divisores vero tribuum qui suam quisque tribum corrumpendam recepissent ad eos accipiendos convenirent. Ita Clodium cum sequester esset pecuniamque a candidato acceptam supprimere vellet, domum suam vocatos *divisores omnium tribuum* interfecisse narrat Cicero [35]. Eadem ratione cum Afranius a. LXI a Chr. consulatum peteret, consul M. Piso suscepisse negotium dicebatur et *domi divisores habere*; quam ob rem duo SCta facta sunt, unum *ut apud magistratus inquiri liceret*, alterum *cuius domi divisores haberentur, adversus rempublicam fecisse videri* [36]. Nam in aedibus sequestri pecuniam tribulibus ipsis numeratam esse a divisoribus non puto, cum divisores id negotium videantur habuisse, ut tribus circumirent nummosque tribulibus dividerent. Ipsi divisores tamen quinam fuerint [37], non constat. Asconium personatum quod eos cum magistris curiarum apud Plautum confudit [38], refellere opus non est; quod vero dubitat, *utrum divisor criminis nomen sit an legitimos divisores omnes tribus habeant*, considerandum est. Ipse propendet in hanc sententiam, *quia Cicero sibi unum ex iis carum dicat* et recte, quod Gruchius iam monuit. Erat

---

[34] Interdum candidati domi suae nummos solvebant; ita Scaurus ad Att. IV, 16, 4 quem locum Garatoni ad Planc. c. 10 perperam interpretatus est.

[35] de harusp. resp. 20, 42. Drumann II, 203, not. 57.

[36] Cic. ad Att. I. 16, 7; minus accurate Plutarch. Pomp. 44. Cato minor 30. — Drumann IV, 483 not. 7. Adde Cic. pro Planc. 23, 55: *crimen de nummis, quos in circo Flaminio deprehensos esse dixisti — — Neque qui illi nummi fuerint nec quae tribus nec qui divisores ostendis.*

[37] Optime de iis egit Gruchius de comit. L. I, c. 3. p. 578 sq. Graev., etsi non ex omnibus partibus sufficiat.

[38] ad Verr. Act. I, 8, 22 p. 136. Eius auctoritate motus Sigonius (de iudic. II, 30 p. 1784 Graev.) locum Cic. pro Planc. 15, 37 audacissima interpolatione corrupit.

tamen negotium sordidum et vile [39]. Divisionibus eos legitimis interfuisse Cicero interdum haud obscure significat ad Att. I, 18, 6 de C. Herennio tr. pl.: *potes nosse; tribulis enim tuus est et Sex. pater eius nummos vobis dividere solebat* [40]. Et recte Gruchius: *necessario reipublicae munere fungi divisores ex eo intelligi potest quod largitiones populo fieri legibus non prohibitas tam frequens usitatumque erat, ut necesse fuerit esse certos homines qui operam suam in hac re populo praestarent* [41]. Hoc Gruchius nondum explicavit qua ratione divisores ad tribus accederent; vide cum alios locos supra laudatos tum Verr. Act. I, 8, 22, *divisores omnium tribuum*. Est autem facillimum; quod enim populo solvendum erat, primum tribubus singulis tribui solebat, ut tribulibus distribuerent. App. B. C. III, 23: *ὁ δὲ Καῖσαρ — ὅσον ἀργύριον ἐκ τῆς πράσεως ἐγίγνετο αἰεὶ κατὰ μέρος τοῖς Φυλάρχοις ἀνεδίδου νέμειν τοῖς φθάνουσι λαβεῖν.* Ascon. in Mil. arg. p. 36 Or. (Milonem) *populo tributim singula milia aeris — dedisse.* Suet. Octav. 101: *legat populo R. quadringenties, tribubus tricies quinquies HS*, id est quadringenties intulit arcae publicae, aerario populi Romani; singulis tribubus centena milia attribuit, quae civibus pro sua cuique parte darentur [42]. Cf. Cic. ad Att. I, 16 de lege Aufidia ambitus:

---

[39] Suet. Octav. 3. Cic. Verr. Act. I, 8, 22. 23. 9, 25. ad Att. I, 18, 6.

[40] Vide etiam Verr. Act. I, 8, 22. 23.

[41] Dubitationem movet quod de divisorum poena agitur neque additur in ambitione eos pecunias divisisse (vide supra p. 44). Sed ut hoc cogitatione suppleri nequeat, candidatos in largitione saepe quidem divisoribus legitimis (vide enim Verrinas ll. cc.) saepe vero aliis hominibus usos esse probabile est, quo referas quae de divisorum nomine criminoso dicta tibi videbuntur.

[42] Legatum hoc perperam explicavit Lipsius electa I, 12; melius Savigny Syst. II, 238 not. f. Utrumque legatum confundit Tacitus Ann. I, 8 *populo et plebi CCCCXXXV dedit.*

qui nummos in tribus pronunciarit — (*et*) *dederit ut quoad vivat singulis tribubus HS MMM. debeat.* Distribuendi ratio in tribubus eadem esse debuit quae fuit in aliis communibus [43]; officium divisorum apud tribules solos commemoratur, quia tribus ex multis neque viciniis municipiis composita non facile alicubi convenire potuit [44].

opificum, quae servos admisisse non arbitror, sed de sacris tantum [25]; deinde Clodii legem ad Urbem tantum spectavisse, cum Cicero collegia et *ex urbis faece* constituta dicat et Clodium in foro conscripsisse et decuriavisse. Innumerabilia collegia per totam Italiam sparsa antiquitus municipiorum curae videntur esse relicta. Itaque Cicero ubi collegia commemorat plerumque cogitat de solis urbanis. Cic. pro Sest. 14, 32 *nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura; nulla Romae societas vectigalium, nullum collegium aut concilium aut omnino aliquod commune consilium*. Q. Cic. de pet. cons. c. 8. *Deinde habeto rationem Urbis totius, collegiorum omnium, pagorum, vicinitatum. Postea — — ne quod municipium, coloniam, praefecturam, locum denique Italiae ne quem esse patiare.*

§ 11.

Iam veniendum est ad Imperatores; nam neque SCtum a. LVI ut sodales decuriatique discederent, neque legem Liciniam de sodaliciis contra ius coeundi lata esse, sed adversus certa coetuum factiosorum genera, supra demonstratum est. — Caesar *cuncta collegia praeter antiquitus constituta distraxit* [1]; cumque nihilo minus *plurimae*

---

[25] Non ignoro in familia Augustali multa collegia opificum fuisse; ita Grut. 642, 8. *ex domo Caesarum libertor. et servor. quod est colleg. tabernaclariorum*, Mur. 528, 5. Grut. 581, 13 *coll. praegustatorum*, Card. dipl. p. 221 n. 410 *collegium cocorum Aug. n. quod consistit in Palatio*, Grut. 599, 11 *corpus lecticariorum*, Orell. 1711 *genio familiae monetal. Demetrius Caes. n. ser. Epaphroditianus* coll. Grut. 74, 1 (ubi pro II. semper IT. leg.) 45, 3. 86, 8=1066, 5. 1070, 1. Sed haec erant officia servilia magis quam coetus opificum neque proprie collegia dicuntur.

[1] Suet. Caes. 42.

factiones titulo collegii novi ad nullius non facinoris societatem coirent, idem sanxit Augustus et *collegia praeter antiqua et legitima dissolvit* [2]. Iudaeorum conventus solos Caesar excepit: Ioseph. antiqu. XIV, 17. Γάϊος Καῖσαρ [3] ὁ ἡμέτερος στρατηγὸς καὶ ὕπατος ἐν τῷ διατάγματι κωλύων θιάσους συνάγεσθαι κατὰ πόλιν, μόνους τούτους (τοὺς Ἰουδαίους) οὐκ ἐκώλυσεν οὔτε χρήματα συνεισφέρειν οὔτε συνδεῖπνα ποιεῖν. Claudius Iudaeos quoque ἐκέλευσε μὴ συναθροίζεσθαι τάς τε ἑταιρείας ἐπαναχθείσας ὑπὸ τοῦ Γαΐου διέλυσεν [4]. Caius non est dictator, qui Iudaeorum collegia non restituit sed excepit; est Caligula, qui cum Tiberius Iudaeos Italia expulisset [5] non solum eos revocasse sed pristina privilegia etiam reddidisse eis videtur. Multi Dionem ita acceperunt, quasi Claudius universum ius coeundi restitutum civibus Romanis a Caligula denuo sustulisset [6]; sed qui totum eius locum inspexerit, mecum faciet. Ceterum quod docet Iosephus Caesaris edictum ad Urbem solam pertinuisse, confirmatur cum iis quae de lege Clodia supra disputavimus, tum praesertim a Marciano l. 1 pr. D. de coll. XLVII, 22; qui postquam de licitis et illicitis collegiis exposuit *quod non tantum*, inquit, *in Urbe sed et in Italia et in provinciis locum habere D. quoque Severus rescripsit* [7]. Denique Severus Alexander collegia urbana diligenter ordinavit. Lamprid. Alex. Sev. c. 33 *corpora omnium constituit vinariorum lupinariorum* (? num *lupanariorum* ?) *caligariorum et omnino omnium artium hisque ex sese*

---

[2] Suet. Octav. 32.

[3] Reimarus ad D. Cass. LX, 6 hic Caligulam significari putat, Klenze ad l. Servil. p. 17 dictatorem. Quod verum esse ostendit Heinecc. de coll. et corpor. L. I § 17.

[4] Dio l. c. ad a. XLI p. Chr.

[5] Tac. Ann. II, 85.

[6] Heinecc. l. c. Dirksen l. c. p. 42 n. 111.

[7] Usu iam ante ius in Urbe constitutum ad provincias translatum esse indicat particula *quoque*.

defensores dedit et iussit quid ad quos iudices pertineret. Ita saepe in Digestis scriptum est collegium esse non posse nisi lege cocundi potestatem haberet vel eo quod legis vicem habet. L. 1 pr. D. quod cuiusc. III. 4. Gaius: *Neque societas neque collegium neque huiusmodi corpus passim omnibus habere conceditur; nam et legibus et SCtis et principalibus constitutionibus ea res coercetur.* l. 3 pr. D. h. t. XLVII, 22 Marcian.: *collegia si qua fuerint illicita, mandatis et constitutionibus et SCtis dissolvuntur.* Sed primum locum inter leges adversus collegia rogatas obtinuisse videtur SCtum aliquod incertae originis et aetatis [8], quod aliquoties citatur a Marciano. l. 1, § 1 h. t. *dum tamen per hoc non fiat contra SCtum quo illicita collegia arcentur.* l. 3, § 1 eod. *nisi ex SCti auctoritate vel Caesaris collegium vel quodcunque tale corpus coierit, contra SCtum et mandata et constitutiones collegium celebrant.* Deinde lapides quoque saepe exhibent collegium aliquod, quod ut licite se coire ostendat addit: *quibus ex SC. coire licet* [9]; ita *colleg. III. quib. ex SC. c*(oire) *p*(ermissum) *e*(st) Murat. 472, 3 coll. Marinio atti p. 552; collegium *dendrophor. Romanor.* Orell. 4075; *piscatorum et urin*(atorum) *totius alv*(ei) *Tib*(eris) Orell. 4115; *mensorum machinariorum* Orell. 1567=4235; *fabrum* Orell. 2797; *fabrum navalium Ost*(iensium) Grut. 437, 2=1027, 4. Murat. 520, 3=Fabrett. 719, 405; *sagarior. Romanor.* Spon. misc. p. 67 (ex sched. Barb.) Quominus hos titulos ad diversa privilegia a senatu impetrata referamus, impedit altum silentium lapidum de constitutionibus et rescriptis principum, si unum hunc exceperis Orell. 3913: *VIvir*(*i*) *Aug*(*ustales*) *soci, quibus ex permissu Div. Pii arcam habere permiss.* — Cf. Grut. 424, 12. Quibus cum

---

[8] De SCto a. LXIV cogitavit Dirksen. l. c. p. 24, quod ne speciem quidem veri habet.

[9] cf. *omnia corpora Lugduni licite coeuntia.* Grut. 399, 4. 431, 1.

plurima collegia nova constituta esse videantur [10], melius erit SCtum illud non de privilegiis aliquot sed de generali sanctione accipere. Quod multo certiori ratione efficitur ex inscriptione, non multis nota, de qua plura dicenda sunt; posita est enim in libro in his terris rarissimo, cui titulus est: *Diplomi imperiali di privilegj accordati ai militari raccolti e comentati da Cl. Cardinali* (Velletri 1835. 4). Repperi in eo inter alia multa et utilissima legem collegii alicuius [11], quod dicitur cultorum Dianae et Antinoi, integram paene servatam et meis usibus quasi paratam. Ibi ipsi legi praemittitur hoc caput ex SC. p. R:

KAPUT EX S. C. P. R.

...nvenire colleciumq. habere liceat. Qui stipem menstruam conferre vo-
...ᵖa in ii collegium coeant neq. sub specie eius collegi nisi semel in men-
.....ferendi causa unde defuncti sepeliantur.

Quod SCtum non privilegium fuit cultoribus Dianae concessum, sed caput ex generali illo quo cavebatur quibusnam collegiis coire liceret. Primum enim si cultores Dianae specialem permissionem impetrassent, totum SCtum recepissent, certe cui collegio licentia coeundi daretur non omisissent; sed neutrum factum est. Deinde mihi restitutio aliter confici non posse videtur nisi ita ut verba: [*Quibus co*]*nvenire collegiumque habere liceat* capitis inscriptionem faciamus. Ita hic tenemus eius SCti reliquias, quod totam collegiorum rationem ordinavit. Pertinet id, ni fallor, ad primos Imperatores, fortasse ad Augustum;

---

[10] vide infra p. 83 not. 2.

[11] ad p. 264 n. 510. Exscripsit eam ex *Diss. dell' acad. Rom. di archeol.* Rom. 1825. T. II ad p. 462, ubi primum publici iuris facta est a *Rattio* quodam, qui conscripsit etiam futilem eius legis commentarium (p. 437—461). Hoc exemplo tamen utendum est, quoniam Cardinali in describendo quaedam corrupit.

[12] Lepide Ratti ita restituit: *Ex SC. p. R. convenire collegiumque habere liceat! essendo precedute queste stesse parole dall' altra KAPVT, perchè si sapesse esser questo il capo principale e di ogna cosa il principio ed il fondamento!*

factum est urbanis collegiis ordinandis, sed sive consuetudine sive principum mandatis postea receptum etiam in Italia, ubi eo usa esse collegia sub Hadriano videbimus; deinde in provinciis, quod et ipsum infra fortasse apparebit. Cuius restitutio et interpretatio non huius capitis est, sed proximo capiti de collegiis licitis sub imperatoribus relinquenda videtur.

CAP. V.

DE COLLEGIIS LICITIS SUB IMPERATORIBUS.

§ 12.

Sub imperatoribus nulli collegio ius coeundi fuisse nisi speciali lege [1] concessum proximo capite demonstravimus. Quod si iam disputationis ordo eo nos deduxit ut ageremus de collegiis quae essent licita, hoc non ita intelligendum est quasi singula corpora licite coeuntia enumerare nobis propositum sit, quod neque finem neque utilitatem aliquam haberet. Facile distinguuntur genera collegiorum etiam sub imperatoribus. Collegia templorum et opificum eundem locum etiam post libertatem sublatam obtinebant, nisi quod nova non facile constituebantur. Vide

---

[1] Quam tacitam interdum fuisse non nego, cum patientia saepe sit pro confirmatione.

quae de collegio fabrum Nicomediae instituendo Plinius ad Traianum scripsit quaeque hic Plinio respondit [2]. Officia magistratuum ad similitudinem collegiorum erant constituta, sed forma plane singulari [3]. De tribubus seniorum iuniorumve collegiorum forma ita constitutis, ut centuriae, olim tribus partes, nunc essent collegii, aliquando fusius agere mihi proposui [4]. Collegia iuvenum quae a Nerone instituta creduntur propter ludos iuvenales, postea latissime spargebantur et commemorantur in multis municipiis in curando lusu iuvenum [5]. Communia mimorum Romanorum et in nomine et in institutis *τὰ κοινὰ τῶν περὶ τὸν Διονύσου τεχνιτῶν* referunt, quae apud Graecos ampla et plurima fuerunt [6]. Ordo Augustalium denique ortus videtur ex

[2] Epp. X, 42. 43. Novas immunitates accepisse videntur ab Impp., si quidem publicae utilitatis causa constituta erant. L 17 § 2 D. de exc. XXVII, 1. l. 5. §§ 12. 13. D. de iure imm. L, 6. Vat. fr. § 233—237.

[3] Quam nemo non dico explicavit, sed ne tractavit quidem. Cf. Savigny Syst. II, p. 253.

[4] Cum iis comparanda est *centuria accensorum velatorum* Vat. fr. § 138 et ibi Buchh. Orell. 2460 et in ind. quinto s. v., quae similem fortunam videtur habuisse.

[5] Tac. XIV, 15. Dio Cass. LXI, 19. Orell. 4094—4101. Visconti opere var. T. II. p. 33—46. 66. Cramer de iuven. ap. Callistr. in kl. Schr. p. 53—59. Optime vero Oderici diss. p. 90—98.

[6] Ita in *communi mimorum* theatri Bovillensis Orell. 2625 commemoratur L. Acilius Eutyches *omnibus corporibus ad scenam honoraratus*, ut in decreto collegii Serapis C. I. 120: *ἐπαινέσαι αὐτοὺς καὶ στεφανῶσαι θαλλοῦ στεφάνῳ ἐν Σαραπείῳ*. Haec laudatio et coronatio modo semel facta modo in tempus vitae modo perpetua frequentissima est in collegiis Graecis (C. I. 109. 110. 2220. 2525 b. 3065. 3066), eaque in communibus mimorum *ἐν τῷ θεάτρῳ* fieri solebat. (C. I. 3067. 3068 A. B.). Communia mimorum multa inveniuntur; C. I. 349: *ἡ ἱερὰ Ἀδριανὴ Ἀντωνείνη θυμελικὴ περιπολιστικὴ μεγάλη σύνοδος τῶν ἀπὸ τῆς οἰκουμένης περὶ τὸν Διονύσον καὶ Αὐτοκράτορα Καίσαρα — Ἀδρίανον — νέον Διονύσον [τεχνιτῶν]* ibiq. Boeckh.; C. I, 2931 Trallibus: *ἡ Ὀλυμπικὴ σύνοδος τῶν*

collegiis in Augusti honorem institutis [7] et dignus sane est, qui proprio commentario illustretur; sunt enim Augustales in obscura universa re municipali maxime in tenebris positi et nescio quomodo cum ordinem referunt tum collegia. Sed haec missa faciamus; non enim agendum est de singulis generibus collegiorum, sed de collegiis in universum. Neque ita nihil reliquum nobis erit. Privilegia enim diversam rationem habere possunt; aut certa sunt unius collegii aut pertinent ad collegia omnia quandoque futura, modo causam habeant lege comprehensam. Hanc differentiam indicaverit Gaius his verbis:

l. 1 pr. D. quod cuiusc. III, 4. Neque societas neque collegium neque huiusmodi corpus passim omnibus haberi conceditur; nam et legibus et SCtis et principalibus constitutionibus ea res coercetur. Paucis admodum in causis concessa sunt huiusmodi corpora: ut ecce vectigalium publicorum sociis permissum est corpus habere, vel aurifodinarum et argentifodinarum et salinarum. Item collegia Romae certa sunt, quorum corpus SCtis atque constitutionibus principalibus confirmatum est, veluti pistorum et quorundam aliorum et naviculariorum qui (sc. navicularii) et in provinciis sunt.

Videntur a collegiis certis discerni societates quaedam in incertum permissae, ita ut quandocunque societas puta publicanorum coierit, corpus habeat, privilegio constitutionem societatis antecedente. Est autem eiusmodi societatum natura plane singularis [8]. Collocantur in universitatibus, in-

---

ἀπὸ τῆς οἰκουμένης ἱερονείκων καὶ στεφανειτῶν cf. 2620. 2932. 3068 C.; praesertim *τὸ κοινὸν τῶν περὶ τὸν Διονύσον τεχνιτῶν τῶν ἐπ᾽ Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου* Strabo XIV, 643. C. I. 2933. 3067—3072.

[7] Vide supra p. 15 not. 29.

[8] Savigny Syst. II, 255.

terdum corporibus adnumerantur, sed distinguuntur semper a collegiis. Cic. pro Sest. 14, 32 *nulla Romae societas vectigalium, nullum collegium aut concilium aut omnino aliquod commune consilium* [9]. Quod attinet ad iura privata, omnino aequiparantur collegiis; vide l. 3, § 4 D. de B. P. XXXVII, 1. *a municipiis et societatibus et decuriis et corporibus bonorum possessio agnosci potest*, l. 22 D. de fideiuss. XLVI, 1 *hereditas personae vice fungitur sicuti municipium et decuria et societas*, l. 31, § 1 D. de furt. XLVII, 2 postquam de municipio verba fecit: *idem scribit etiam de ceteris rebus publicis deque societatibus.* Fabrett. inscr. 632, 276 *P. Monetius soc*(iorum) *l*(ibertus) *Philogenes vascularí*(us) *Veturia C. l. Salvia sibei et sueis.* Sunt igitur eiusmodi societates re non diversae a collegiis, neque tamen collegia; carent enim causa perpetua, quam accedere oportere supra ostendimus [10], ut collegium consistat. Itidem rem publicam nullam habebant. Confirmatur igitur, quod supra docuimus collegii naturam non eo contineri, quod personam habeat; ut enim societas perpetua, id est collegium, carere potest persona, ita persona concessa est societatibus quibusdam ad tempus constitutis. Non recte igitur collegium esse statuunt plurium hominum qui municipes non sint, coniunctionem in unius personae vicem institutam. Societates, de quibus agimus, generaliter exceptas esse cum senatus ius coeundi tolleret non arbitror; coire enim cives non impediebantur nisi ex causa perpetua et ipso iure SCto non tenebantur societates. Non magis igitur eae referendae sunt inter collegia licita quam reliquae societates privatae; notanda tamen sunt quaedam peculiaria, quae communia iis sunt cum collegiis quibuscum plerumque componuntur, et repetenda ex persona utrisque

---

[9] Eadem fere in Vatin. 3, 8 in Pison. 18, 42. Cf. pro Planc. 13, 32 ad famil. XIII, 9. Fest. epit. v. magisterare p. 95 Lind.

[10] p. 39.

aequaliter attributa. De iure privato vidimus; sed morte quoque haec societas non dissolvitur ut reliquae universitates, si ita convenit [11]. Quod si non convenit, dissolvitur quidem, sed dissensu praesumto; l. 59 pr. D. pro soc. XVII, 2. „Adeo morte socii solvitur societas, ut nec ab initio pacisci possimus ut heres etiam succedat societati. Haec ita in privatis societatibus ait; in societate vectigalium nihilo minus manet societas et post mortem alicuius, sed ita demum, si pars defuncti ad personam heredis eius adscripta sit, ut heredi quoque conferri oporteat." Quod igitur negant heredem socii in societate vectigalium socium esse nisi adscitus sit, nomine aliud est, re idem [12]; „omne enim emolumentum societatis ad eum pertinet, simili modo et damnum agnoscit quod contingit sive adhuc vivo socio sive postea. Quod non similiter in voluntaria societate observatur [13]." Quare Graeci recte heredem socii socium non esse appellandum docent, nisi ita convenit [14]. — Cum igitur societates vectigalium morte socii non dissolverentur, fieri potuit ut per multos annos continuarentur Imperatorumque temporibus *pleraeque* essent *vectigalium societates a consulibus et tribunis plebis constitutae acri etiam populi Romani tum libertate*, quod ait Tacitus Ann. XIII, 50.

---

[11] ICti plerique cum ignorarent ius personae eiusmodi societatibus concessum, omnem lapidem moverunt, ut id nisi efficerent ex natura societatis privatae tamen cum ea componerent. Quod factum est inde a Graecis enarratoribus, qui callide satis comparant mandatum in mortem datum (schol. Basil. ad L. XII, tit. 1, l. 57 pr. T. II, p. 763 Heimb.). Sed omnino non ita anxii fuerunt iuris auctores apud Romanos in iure personae concedendo ac esse solent nostrates.

[12] Nisi forte de beneficio competentiae quod dicimus cogitabis.

[13] l. 63 § 8 h. t.

[14] ad h. l. T. II, p. 770 Heimb., in cuius versione negatio omissa est.

§ 13.

Ut generale privilegium coeundi nullum sit in societatibus, certe aliud proponitur a Marciano, in cuius natura explicanda non exiguae exsistunt difficultates.

l. 1 D. de coll. et corp. Mandatis principalibus praecipitur praesidibus provinciarum ne patiantur esse collegia sodalicia [1] neve milites collegia in castris habeant. Sed permittitur tenuioribus stipem menstruam conferre, dum tamen semel in mense coeant, ne sub praetextu huiusmodi illicitum collegium coeat. Quod non tantum in Urbe sed et in Italia et in provinciis locum habere D. quoque Severus rescripsit. § 1. Sed religionis causa coire non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra SCtum quo illicita collegia arcentur.

Faciliora primum explanabimus. Multi ultimis verbis omnibus collegiis sacris ius coeundi tribui existimaverunt; ut novum quotidie constituere liceret collegium, modo in Dei honorem id fieret [2]. Sed hoc absurdum est; est enim eiusmodi exceptio quae regulam inanem reddat. Obstat praeterea lex 2 D. de extr. crim. XLVII, 11. *Sub praetextu religionis vel sub specie solvendi voti coetus illicitos nec a veteranis tentari oportet.* Ipsa illa simulata religio senatum permovit ut ius coeundi tolleret. Explicanda sunt illa verba de coitionibus in templis ad rem divinam

[1] Supra p. 32 not. 1. *collegia sodalicia* de coetibus factiosorum interpretatus sum, sed fortasse erravi, Basilica enim ita vertunt: *οἱ ἄρχοντες πανταχοῦ κωλυέτωσαν ἐν πόλεσι καὶ κώμαις ἰδιώτας ἢ στρατιώτας ἐν τοῖς κάστροις αὐτῶν ἔχειν ἑταιρικὰ συστήματα.* Graeci igitur acceperunt de omnibus collegiis illicitis privatorum; quod ut admittam facit et auctoritas eorum in hac re maxima et sententia multo aptior et facilior.

[2] ita ipse Dirksenius l. c. p. 24.

faciendam, quae etsi neutiquam contra SCtum erant, facile tamen in fraudem SCti usurpari poterant. Quod confirmant Graeci: καὶ χάριν εὐχῆς θεμιτῶς ἔξεστι συνιέναι. — Sed rectius etiam haec coniunguntur cum principio, ut collegia tenuiorum de quibus ibi agitur semel tantum in mense conventum habuerint, sed ad epulas et res sacras quotiens res ferebat coierint. Quod re vera ita fuisse suo loco demonstrabitur [3].

Permittitur igitur tenuioribus stipem menstruam conferre. Sed ne hac generali permissione [4] abutantur factiosi ad coetus seditiosos sub eiusmodi specie constituendos, collegia ista semel tantum in mense coire iubentur. Quaeritur autem de quibusnam collegiis hoc privilegium intelligendum sit; non enim licere tenuioribus ex quacunque causa coire, modo semel in mense coeant, per se clarum est certumque; nam stipis menstruae collatio non nisi ad certam certasve causas pertinere posse videtur. Fieri enim non potuit, quin senatus, cum de collegiis licitis consuleretur, legitimas aliquas causas eiusmodi collationis confirmaret, non in universum stipis menstruae collationem. Si qui Marcianum minus accurate locutum esse existimant, cum pro enarrandis certis illis classibus exceptis simpliciter ea collegia licita esse affirmaret, quae stipis menstruae collatione continerentur: adhuc non repugnamus, quanquam cum erroris nihil insit in verbis *permitti tenuioribus*, non recte desiderantur, quae Marciano addere non placuit. Antequam vero in singulas causas inquiramus, videndum est annon senatus fortasse unam solam expresserit. Quod haud scio an comprobetur verbis Marciani, quae supra relata excipiunt:

---

[3] infra §. 16.

[4] Quanquam verba etiam significare possunt ad menstruam stipem conferendam plerumque ius coeundi dari solere petentibus. Sed hanc interpretationem cum ex aliis causis neglexi, tum quod cum capite SCti quod supra dedi omnino conciliari non potest.

Non licet autem amplius quam unum collegium licitum habere ut est constitutum *et* a Divis fratribus; et si quis in duobus fuerit, rescriptum est eligere eum oportere, in quo magis esse velit, accepturum ex eo collegio, a quo recedit, id quod ei competit ex ratione quae communis fuit.

Quae lex interpretes admodum vexavit et, ut fit, non minus ab iis est vexata quasi iure talionis. Ita Heineccius [5] homines pluribus collegiis adlectos sagaciter arguit non potuisse non sempiterna propemodum crapula torpere, cum singula semel in mense coirent (nam ex conventu redire quemquam posse nisi ebrium ignorabat ut Germanus). Qua re rerum ordinem quam maxime periclitari, inhiare enim alienis qui prodigi suarum facultatum essent. Sapientissimam itaque constitutionem eo pertinere, ne cives latrones fierent et praedones! Neque probabiliora protulit Dirksenius [6] etsi sane minus absurda. Bona enim collegiatorum in paucis tantummodo collegiis urbis Romae reipublicae collegii obnoxia erant, quod ipsum post Marciani tempus constitutum esse opinor. Maximam difficultatem habere hanc legem non nego; neque quemquam eam explicaturum esse puto, quin senatum ex una tantummodo causa ius coeundi reliquisse statuat. Ut enim senatus e. g. et funerum causa et incendiorum ius coeundi reliquerit, qua ratione vetiti sunt ii qui funerario collegio intererant incendiorum causa societatem inire? Quod longe aliter se habet, uno tantum certoque genere collegiorum per generale privilegium excepto; recte enim prohibebantur ii qui funeraticium ex uno collegio accepturi erant, eodem ex alio collegio sibi comparando sibi heredive suo improba ratione prospicere [7]. Accedit quod generalis privilegii nullius

---

[5] l. c. L. I, § XXV.

[6] l. c. p. 84.

[7] Quod de collegiis generali privilegio in incertum confirmatis solis locutis sum, relictis certis et speciali privilegio constitutis, con-

mentio fit neque a scriptoribus neque in lapidibus, si unum genus collegiorum funeraticiorum exceperis, quorum confirmationem in parte SCti nobis servata tenemus. Plus dico in tot collegiis quae nobis innotuerunt nullum inveniri quod habeat eam causam, quam generali lege a senatu exceptam esse verisimile sit. Quae enim a senatu maxime excipienda erant, si ulterius progredi ei e republica videbatur, collelegia ad eos usus instituta, quibus postea Christianis temporibus inserviebant orphanotrophia, ptochotrophia aliaque similia [8], nulla inveniuntur; imo alio modo iis prospexerant Imperatores. Collegia ad pias causas quaecunque erat licite coiisse Tertullianus quoque neutiquam dicit, cuius verba omnino adhibenda sunt Apolog. c. 39: „Etiam si quod arcae genus est, non dehonoraria summa quasi redemtae religionis [9] congregatur; *modicam unusquisque stipem menstrua die* vel cum velit et si modo velit et si modo possit apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis nec potaculis nec in gratiis voratriuis dispensatur; sed egenis alendis humandisque, et pueris ac puellis re ac parentibus

---

sulto factum est, quoniam Marciani verba de illis tantummodo accipienda sunt, quae in pr. commemoravit. Ibi autem de iure coeundi in futurum concesso agitur.

[8] Non obstant quae de collatione pro amicis incendio afflictis facta poetae tradunt. Iuv. III, 215 *ardet adhuc et iam accurrit qui marmora donet, Conferat impensas* — et mox: *meliora et plura reponet Persicus — merito iam Suspectus tanquam ipse suas incenderit aedes.* Mart. III, 52 *Emta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducenis: Abstulit hanc nimium casus in Urbe frequens. Collatum est decies.* Sed hanc collationem ex amicorum officio non ex iure collegiorum repetendam esse omnes intelligent. Denique infra, ubi de Graecis eranis pauca dicenda erunt, hunc morem inde repetendum esse docebo.

[9] id est non colligitur ex fructibus sacerdotii, ex pecunia aliisque rebus pro re divina facienda a sacrificantibus solvendis, sed ex collatione sociorum. — *Dehonorarius* est turpis. Lectio tamen incerta est.

destitutis iamque domesticis senibus; item naufragis, et si qui in insulis vel in custodiis dumtaxat ex causa Dei sectae, alumni confessionis suae fiunt" (i. e. aluntur captivi Christiani ab iis qui eundem Deum profitentur). Erant quidem coitiones illae illicitae, quicquid dicit Tertullianus, sed ideo tantum, quod erant Christianorum. Non enim nego per se haec omnia licite fieri potuisse et saepe facta esse a collegiatis. Sed collegia his nominibus omnibus licite institui ipse Tertullianus non sensit; recipi eiusmodi pias causas a collegio funeraticio, quam causam animadvertas a Tertulliano paene primo loco collocari, nulla lex vetabat. Quod latissime patuisse et magnam partem institutorum ad pias causas, quae postea plurima fuisse scimus, ab eiusmodi collegiis ductam esse non dubito. Fuerit arca collegii quasi communi auxilio eorum collegarum, qui subsidio indigerent, parata et solitum refugium orborum pauperumque, quam ob rem legata ad pias causas antequam Christiani imperatores melius iis prospicerent plerumque collegiis data et ab eorum magistris administrata esse arbitror. — Denique ita factum videtur esse ut Marcianus non adderet, quem in usum menstrua pecunia conferretur; etsi enim lege scriptum erat de sola pecunia in rem funerariam conferenda, re ipsa ad multa et diversa collatio spectabat. Itaque re considerata de collegiis tenuiorum haec tenenda esse arbitror. Edixisse senatum cum hetaerias coerceret, ne quis plus unum collegium haberet; ut enim singula collegia timenda erant, ita coniunctio plurium, quam saepe factam esse extremis liberae reipublicae temporibus consentaneum est, erat periculosissima, cui ita quodammodo occurrebant. Deinde cum exciperentur collegia aliqua, generaliter sanxisse senatum, ut funerum causa coire liceret; plures causas probabiles non addidisse eum, ne ipse illam legem abrogaret. Quare quicquid communi collatione indigere videretur, non propriis collegiis ad hoc institutis, sed applicatione ad collegia funeraticia perfectum esse.

§ 14.

Nunc de collegiis funerariis propriam disputationem instituemus. Quem locum tam fuse a nobis tractari erunt qui mirentur; sed non omni die in rebus antiquis explicandis incidimus in rem integram, qualem hanc esse apparebit.

Collegia Deo cuidam sacra frequentissime in lapidibus apparent [1], quae principaliter ad Deorum cultum spectavisse constare videbatur. Sed videndum est ne temere hoc admittamus. Factum enim est ut his annis duae leges collegiorum sacrorum invenirentur, cum adhuc unam solam collegii Aesculapii et Hygiae cognitam haberemus, quas omnes tres collegiorum funerariorum esse apparuit [2]. Ita coniectura ducta ad reliqua collegia, quarum rationem nomine tenus ignoramus, Dii illi tutelares collegiorum similes videntur fuisse Sanctis, qui olim apud nostrates collegiis nomina dare solebant, etsi illa ad longe alias res constituta erant quam ut bonum Nicolaum Martinumve colerent. Iam de singulis ita agemus, ut legem collegii Dianae, unde ratio horum collegiorum unice cognosci potest, post alias explicatas, quae nihil fere nisi fuisse ea funeraria significant, ultimo loco illustremus.

Lex collegii Aesculapii et Hygiae [3], quae scripta est a. p. Chr. CLIII, cum non ad constitutionem eius referenda sit, sed supplementa tantum legum priorum contineat addita post magnam donationem collegio oblatam, obiter tantum funerum causa collegium institutum esse indicat.

---

[1] Orell. inscr. c. V. § 21.

[2] Rei funerariae veteribus religiosissima sanctissimaque cura cum esset, tantum eos ei tribuisse non mirandum est. Denique respublicae ipsae habebant loca suburbana inopum funeribus destinata, quas culinas appellabant. (Aggenus p. 60. 72. Goes.)

[3] Orell. 2417.

Eadem Marcellina collegio s(upra) s(cripto) dedit donavitque HS L. m(ilia) n(ummum) hominibus n(umero) LX sub hac condicione, ut ne plures adlegantur quam numerus s. s., et ut in locum defunctorum loca veniant et liberi adlegantur; vel, si quis locum suum legare volet filio vel fratri vel liberto, dumtaxat ut inferat arkae n(ostrae) partem dimidiam funeratici.

Funeraticium [4] est summa a collegio funeraticio post mortem collegae heredibus adnumeranda, ut haec verba valde obscura id videantur dicere, non licere adlegere quem nisi in locum defuncti socii succedat; adlegendum autem esse unum ex filiis defuncti [5], nisi is certum aliquem ex filiis suis fratremve libertumve designaverit. Alium enim designari non licere; praeterea eum, qui de loco suo in collegio testamento caverit, non sequi nisi dimidiam partem funeraticii ex arca collegii heredi eius solvendi; alteram enim partem collegium retinere pro adempta adlegendi facultate. Id maxime egisse videtur Marcellina, ne extranei in collegium reciperentur; ita intestati liberos adlegi iussit, testari vero collegiatos prohibuit, nisi in favorem necessariorum.

Maioris momenti est edictum magistri collegii Iovis Cerneni a. p. Chr. CLXVII. Alburno maiori in Pannonia propositum, quod non in archetypo sed in triptycho publica fide descriptum ad nos pervenit [6]. Cuius copia cum paucis sit, libellum apponam; mutata tamen barbara orthographia (ita B cum D confunditur scribiturque liDellus, AlDurnum).

[4] Male lexica ex h. l. *funeraticum*. V. Orell. 4107 et legem coll. Dianae, unde etiam significatio vocabuli prodit.

[5] Quamvis possis etiam accipere de servis a collegio arcendis.

[6] Est qui Massmanno dicitur *libellus aurarius*, quem pleno ut sibi visus est commentario edidit Lips. 1840. 4. De parte palaeographica videant alii, reliqua, praesertim compilatio de collegiis, erroribus scatent; paucissima subinde retuli ne lectores hominis ingenium ignorarent.

Constructionem quam dicunt peculiarem lectoribus invidere nolui, ne incredibilem infantiam sermonis Latini seculo secundo in Pannonia usitati ignorarent.

„Descriptum et recognitum factum ex libello qui propositus erat Alb(urno) maiori ad stationem Resculi, in quo scriptum erat id quod infra scriptum est."

„„Artemidorus Apollonii, magister collegii Iovis Cerneni et Valerius Niconis et Offas Menofili, quaestores collegii eiusdem, posito hoc libello publice testantur:

ex collegio s. s. ubi erant homines LIIII, ex eis non plus remansisse ad Alburnum quam quod homines XVII[7]; Iulium Iulii quoque commagistrum suum[8] ex die magisterii sui non accessisse ad Alburnum neque in collegio (scil. *fuisse*)[9]; seque eis qui praesentes fuerunt rationem reddidisse et si quid eorum habuerat reddidisset[10] sive funeribus (scil. *impendisset*), et cautionem suam, in qua eis caverat recepisset; modoque autem neque funeraticiis sufficerent neque loculum haberet neque quisquam tam magno tempore diebus quibus legi (sc. *collegii*) continetur, convenire voluerint aut conferre funeraticia[11] sive munera.

---

[7] Massmann dubitat utrum XᏓI tabulae significet XII. an XLI. (v. p. 12 n. 1); sed saepe hoc siglo notatur VI (vide Maii praef. ad Cic. de rep. p. XXVIII), quod ex nexu literarum VI, non ex Graeco stigmate ducendum esse puto.

[8] i. e. Artemidori, qui deinceps solus loquitur.

[9] Non excusatur Iulius, sed summae negligentiae accusatur, neque verba *seque* — *reddidisse* ad Iulium pertinent, sed ad Artemidorum. Quod non monuissem, nisi Massm. § 26 utroque lapsum esse vidissem, qui etiam commagistri munus excogitavit diversum a magistro, rem sane nihili.

[10] Hic mutata constructione coniunctivus succedit pro infinitivo. Sententia aperta est: quidquid habuisset, aut funeribus impendisse se aut in conventu reddidisse; cautionem quoque suam se recepisse ratione reddita.

[11] i. e. stipem unde funeraticia dentur.

seque idcirco per hunc libellum publice testantur [12], ut si quis defunctus fuerit, ne putet se collegium habere aut ab eis aliquem (sic.) petitionem funeris habiturum.

Propositus Alburno maiori V. Idus Febr. Imp. L. Aurelio Vero III. et Quadrato cs. [13] ""

„Actum Alburno maiori."

Ante oculos iacet, ut Massmanni verba mea faciam, protocollum integrum iustum purique stili Latini. Utut autem hoc est, sententia est perspicua; Iovis Cerneni collegium, etsi Dei nomen prae se fert, tamen institutum est ut ex stipe diebus lege comprehensis conferenda funeraticium defuncti heredibus daretur. Ceterum verba *si quis defunctus fuerit, ne putet se collegium habere* per se satis ridicula indicare videntur eos qui in hoc collegio essent non fuisse in alio ullo; si modo proprietas verborum a tali homine expectanda est.

Conferendi sunt tituli duo ad collegia opificum spectantes, qui haec quoque curam habuisse indicant ut collegae sepelirentur.

Orell. 4107=4420. D. M. C. Turius C. f. Lollianus. Quitquit [14] ex corpore mensorum machinariorum funeratici nomine sequetur, reliqu(u)m penes r(em) p(ublicam) [15] s(upra) s(criptam) remanere [16] volo, ex cuius

---

[12] Voluit: *testari se* aut *itaque testantur.*

[13] Mire Massmannus § 12 not. „non *css.* sed *cs.*, nam ex reverentia Imperatoris alter consul Quadratus solus in tabula scriptus est." Litera finalis ad indicandum plurativum numerum non geminabatur nisi sequiori aevo, v. Marini atti in ind. v. *lettere.*

[14] Incipit caput ex C. Turii testamento.

[15] Non est resp. aliqua nobis ignota, quod placuit cuidam, sed resp. mensorum supra scriptorum. Respublica non raro usurpatur de collegiis v. l. 31 § 1 D. de furt. (supra p. 85). Orell. 4068 et lapp. ibi cit. Cf. Fest. v. respublicas.

[16] *Reliquum remanere* i. e. non solvi, sed remanere.

usuris peto a vobis, colleg(a)e, uti suscipere dignemini ut diebus solemnibus sacrificium mihi faciatis, id est IIII. Id. Mart. die natalis mei usque ad X XXV, parentalis X XIIS, flos rosa X V[17]. Si facta non fuerint, tunc fisco stacionis annonae duplum funeraticium dare debebitis.

Orell. 4079. Iulius Vitalis fabriciesis (l. fabricensis) leg(ionis) XX v(alentis) v(ictricis) stipendiorum IX, anor. XXIX, natione Belga ex collegio fabrice(nsium) elatus h(ic) s(itus) e(st).

Ut hic dicitur ex collegio, i. e. sumtibus collegii elatus, ita multi tituli exstant a collegio Diis Manibus collegae cuiusdam positi, quos ad collegia funeraticia referre etsi necessarium non est, tamen admodum probabile. Ita a *collegio Fulginiae* (Orell. 2409.), a *sodalibus Herculanis* (Mur. 1991, 7 coll. 181, 1), a *collegio compitalicio* (Orell. 2413), a *sodalibus aerari a pulvinar.* (Oderici diss. p. 57), a *collegio iumentariorum portae Vercell.* (Marini atti p. 772), a *collegio Silvani Gemini* (Grut. 318, 11), *castrensi* (Grut. 333, 5. Cardin. dipl. p. 136 n. 257), *praegustatorum* (Mur. 528, 6), *fumatorum* (Orell. 5044), a *lanariis pectinariis* (Orell. 4207), denique a collegiis incertis (Kell. Vigiles 85=Grut. 1106, 2. Grut. 890, 5). Quatuor titulos eiusmodi habemus *collegii maiorum collegiique minorum quae sunt in domo Sergiae L. f. Paullinae*[18].

Ad eadem collegia mihi referenda videntur sepulcra communia collegii, quae frequentissima sunt in lapidibus.

---

[17] Ingens sane funeraticium, quod annuas usuras denariorum XLIIS s. HS CLXX gignat, nisi Muratorius numeros corrupit.

[18] Tres collegit Iahnius in spec. epigr. p. 80, sed omisit quartam omnium maxime memorabilem Orell. 4938.=Amad. anecd. lit. T. I p. 476 n. 40, ubi etiam invenies (n. 39) inscriptionem, quam Iahnius nondum editam putabat. Ceterum quae fuerint haec collegia, difficile dicitur; mihi cum omnes collegae servi sint neque dominus addatur, collegia intra familiam Paullinae videntur constituta.

Orell. 4437. Diis Manibus communibus Epaphroditus l. curator primus.

Orell. 2399. Locus sepulturae cultorum Herculis etc.

Orell. 2400. Loc. cultorum Herc. Reatini in fundo Quadrigano etc.

Orell. 2405=Fabr. 429, 4 V(ivi) f(ecerunt). Cultores *Herculis somnialis* decuria I dis manibus sibi et posterisque suis. Cf. Spon. p. 59.

Murat. 181, 2 D. M. s. Cultoribus Saturni.

Orti illustr. di un ant. lap. Istr. Ver. 1836. 8. p. 10. Dendrophoris Polensium C. Laecanius Theodorus sacer*do*s m(atris) d(eum) m(agnae) I(daeae) loc*um pro* sepoltura dedit.

Mur. 491, 7 loc. sep. convictor. *qui una epulo vesci solent.*

Grut. 855, 12. Diis Manibus collegio Agrippiano.

Orell. 4103. D. M. Haec loca sunt lanariorum carminatorum sodalici, quae faciunt in agro p(assus) C, ad viam p(assus) LV.

Orell. 4093. Locum sepulturae donavit C. Valgius Fuscus collegio iumentariorum portae Gallicae posterisque eorum omnium et uxoribus concubinisque [19].

Omnino quidquid de singulis exemplis his certari potest, casu evenire non potuit, ut leges collegiorum sacrorum omnes in urbe, in Italia, in Pannonia inventae ea non instituta esse Deorum causa sed ad funera curanda indicarent; ut in plerisque collegiis ex innumerabilibus quae Deorum nomina prae se ferant eandem naturam latere facile suspicemur.

---

[19] Massmannus etiam sepulcrorum eiusmodi exempla colligere voluit (p. 81 n. 10); quae cum speciminis causa evolverem, ex undecim inscriptionibus, quarum copia mihi erat, octo longe alio pertinere intellexi. Cave igitur ne adversariis eius utaris.

§ 15.

Superest denique ut illustretur *lex collegii salutaris* [1] *cultorum Dianae et Antinoi,* quae lata est p. Chr. CXXXIII [2], *sub tetra[stilo A]ntinoi parte interiori perscripta* a. p. Chr. CXXXVI. Pertinet ad antiquum Lanuvium (hodie città-Lavinia) [3], cuius etiam dictator memoratur. Incipiamus a collatione. Et ait Senatus [4]:

Quibus coire convenire collegiumque habere liceat. Qui stipem menstruam conferre v*olent in funera*, *ii in* collegium coeant neque sub specie eius collegii nisi semel in men*se coeant con*ferendi causa unde defuncti sepeliantur.

Quibuscum componenda sunt verba legis col. I. v. 20 sq.

Placuit universis ut quisquis in hoc collegium intrare voluerit, dabit [5] Kapitulari nomine HS C. n(ummum) et vini boni amphoram [6], item in menses sing(ulos) a. V.

A. V. est *asses* s. *aeris* [7] *quinque* (s. quinos); ita infra col. II v. 16 „*vini boni amphoras singulas et panes a. II, qui numerus collegii fuerit,*" i. e. assium duorum. Elegans sane est interpretatio Rattii, hic *panes albos duos*, illo loco *a(mphoram) v(ini)* explicantis, ut stips menstrua in vino,

---

[1] Aliud *collegium salutare* est apud Orell. 2415, qui notat huiusmodi c. s. nusquam alias memorari.

[2] id est tres annos post Antinoi mortem, quae ad a. CXXX referenda videtur. Flemmer de itin. Hadr. Imp. (Haun. 1836. 8) p. 130.

[3] Ibi inventa est a. 1816 in tabulae marmoreae fragmentis.

[4] v. supra p. 81. Desunt initio versuum litterae ad XII. Primae litterae versus secundi . . . . "*A. IN. II collegium* etc. aperte corruptae sunt vel potius male descriptae.

[5] *Placuit ut — dabit.* Ita saepe per totam legem.

[6] Cf. col. II, v. 7. „Item placuit ut quisquis servus ex hoc collegio liber factus fuerit, is dare debebit vini *b*oni amphoram."

[7] Grut. 179, 3 *et municipes praesentes acciperent aeris octones.*

collegium utique in negotiatione vinaria constiterit. Asses notantur A. ut in lege de magistris aquarum ap. Spang. p. 177, ubi notam recte explicatam a Marinio Dirksenius quoties legitur corrupit in HS. Ita igitur collegium constitutum est, ut eius summae quae in mortis diem a collegio promissa erat, quarta pars ab eo, qui intraret, statim Kapitularii nomine [8] solveretur, deinde quotannis HS XV. n. sive usurae trientes, deducta quarta parte unciae, reliquae pecuniae quasi sortis darentur [9]. Ita qui viginti annis stipem contulit, implevit totam summam funeraticii, ut commodi interusurii rationem non subducamus. (Praeterea a locupletioribus collegiatis dona exspectabantur; in ipsa lege collegii cuiusdam Graeci legimus *αὐξανέτω δὲ ὁ ἔρανος ἐπὶ φιλοτειμίαις*, Boeckh. C. I. 126. Adde etiam col. I. v. 21. *Item placuit ut quisquis mensibus continenter non pariaverit et ei humanitus acciderit, eius ratio funeris non habebitur* [10].) Nam funeraticium erat sestertium CCCC. col. I, v. 23. *Item placuit quisquis ex hoc corpore n(ostro) pariatus decesserit, eum sequentur ex arca HS CCCC n(ummi).* Cum de aetate recipiendorum cautum non sit, collegii iudicio relictum est ne senes reciperet. — Qui

---

[8] *als Einschuss.* Utrumque etiamnunc solvi solet ab iis qui sunt in nostris collegiis funeraticiis.

[9] 3¾ pC.

[10] Vide etiam praef. col. I v. 14. „*Quod faustum felix* salutareque sit Imp. Caesari Traiano Hadriano Aug. totiusque *domus* August., nostris collegioque nostro; et bene adque industrie contraxerimus ut exitus *eorum* honeste prosequamur. Itaque bene conferendo universi consentire debemus, ut longo tempore inveterescere possimus." Quae adhortatio conferenda est cum querimoniis in edicto magistri Iovis Cerneni. Ceterum haec verba confusa sunt; *totiusque domus* pro tertio casu positum videtur et hic quoque duae formulae permixtae (quod salutare sit toti domo — pro salute totius domus) ut in illo: placuit ut dabit. Erat, qui legeret *posteris* pro *nostris* ingeniose et fortasse recte. *Contraxerimus* mihi est optativus.

manus sibi intulerunt, funeraticio excluduntur col. II v. 5. „Item placuit, quisquis ex quacumque causa mortem sibi adsciverit, eius ratio funeris non habebitur [11]."

Quibus pecuniae petitio data sit, etsi non expresse lege comprehenditur, satis tamen indicatur heredi eam non permitti, nisi testamento nominatus sit; intestato mortui funeraticium ita remansisse apud collegium, ut ex ea pecunia efferretur.

col. I v. 33. II v. 1 sq. *A nostro co*llegio dolus malus abesto, neque patrono neque patronae neque d*omino* neque dominae neque creditori ex hoc collegio ulla petitio esto, nisi qui testamento here*s* nomina*tus* erit [12]. Si quis intestatus decesserit, is arbitrio quinq(uennalis) et populi funerabitur.

Qui primo loco positi sunt, non sunt quidem heredes ab intestato, quo neque dominus neque creditor possunt referri. Ita patronus quoque hic non commemoratur tanquam

---

[11] Qui manus sibi non mala conscientia intulerat, sed taedio vitae, non erat infamis (l. 11 § 3 de his qui not. inf. III, 2), nisi suspendio se necasset; suspendiosis enim iusta non fiebant. Vide l. 11 § 3 cit. Serv. ad Aen. XII, 603: *Cautum fuerat in pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finisset, insepultus abiiceretur* — — *Et Varro ait: Suspendiosis quibus iusta fieri ius non sit suspensis oscillis veluti per imitationem mortis parentari.* Cf. Fest. epit. v. *Carnificis.* Klausen Aen. II, 1026 not. 2046 c. Denique Orell. 4404: *Baebius Gemellus Sassinas municipibus singuleis incoleisque loca sepulturae c(entum) s(ua) p(ecunia) dat extra* (i. e. exceptis) *auctorateis et quei sibi laqueo manus attulissent et quei quaestum spurcum professi essent* coll. lege Iul. mun. v. 112. 122 sq. — Ea igitur quae in lege collegii de hac re scripta sunt, non ex infamia mortis voluntariae explicanda sunt, sed ne manus sibi illaturi posteris prospicientes ante in collegio funeraticio sibi locum dolo malo compararent, ita cauta.

[12] Ne supplementum literarum quae interciderunt numerum excedat melius erit corrigere ut fecimus, sive NISI. QVem. TEST. HEREdem. NOMINAVERIT.

heres, sed iure creditoris. Scimus enim libertatis causa promissa plerumque petita esse post mortem liberti, quae causa fuit dimidiae partis bonorum possessionem contra tabulas liberti patrono dandi, ut mortuo liberto eligeret utrum libertatis causa imposita persequi mallet an admittere hanc bonorum possessionem [13]. Sed etsi heredes ab intestato disertis verbis non excluduntur a funeraticio petendo, tamen cum intestato mortuo a collegio iusta fieri addatur, apud collegium funeraticium ad ea facienda remanserit necesse est. Aeque certa ratione cuivis heredi testamentario funeraticium petere licuisse inde efficitur. Quo etiam referenda sunt quae supra ex parte iam attuli, eius qui mensibus non pariaverit rationem non haberi, *etiam si testamentum factum habuerit*, neque obstant verba praefationis minus accurata, c. I. v. 17. „Tu qui novos (antique pro *novus*) in hoc collegio intrare voles, prius legem perlege et sic intra, ne postmodum queraris aut heredi tuo controversiam relinquas." Idem intelligitur ex capite de testamento servi, col. II. v. 3: „Item placuit, quisquis ex hoc collegio servus defunctus [14] fuerit et corpus eius a domino dominave iniquitatae [15] sepulturae datum non fuerit neque tabellas fecerit, ei funus imag*ina*rium fiet." De funere imaginario vide Cardinalium [16]; explicandum est ex more Romano quem refert Servius, ad Aen. II, 116: *Sciendum in sacris simulata pro veris accipi; unde cum de animalibus, quae difficile inveniuntur, est sacrificandum,*

---

[13] Zimmern Rtg. I § 218 p. 794.

[14] Ratti *defuntus*, errore typ.

[15] Corruptum hoc; num *iniquitate?* an fortasse, litera I tantum in E mutata, *INIQVETATAE?* id est INIQ. VETATAE; barbare, sed non male.

[16] dipl. imp. p. 264. Cremabatur scil. imago eius et sepeliebatur pro corpore ipso; cave cum Italis quibusdam cogites de imaginibus maiorum ante funus latis.

de pane vel cera fiunt et pro veris accipiuntur [17]. — Servi in collegiis tenuiorum non raro inveniuntur, l. 3 § 2 D. h. t. *Servos quoque licet in collegio tenuiorum recipi volentibus dominis*; sed iuris eorum plane singularis notitia ex hoc titulo primum prodit. Nam testamenta servorum etsi domini indulgentia quasi precario iure valuisse sciebamus, modo intra domum donaretur divideretúrque [18], tamen civilem quodammodo effectum iis esse attributum vel contra dominós ipsos, nunc primum edocemur. Sententia capitis haec est. Funeraticium pro servo qui in collegio fuerit dandum, aut ei conceditur, quem in tabellis quasi testamento designaverit; aut si tabellas non fecerit, collegii cura corpus sepelitur; quod si dominus retinet, funus ei fit imaginarium. — Ratio legis haec fuit, quod heres testamentarius, quem defunctus suo iudicio sibi elegerat, ei ex voluntate eius iusta facturus putabatur, quod non cadebat in heredem, quem lex dabat, non defuncti ultimum iudicium [19]. — Denique haec omnia non ad collegium Dianae, de quo disputamus, solum spectavisse, sed communi iure esse recepta cum indicat, quod significantur magis

---

[17] Cf. Thucyd. I, 126: *ἐν ᾗ πανδημεὶ θύουσι πολλοὶ οὐχ ἱερεῖα, ἀλλὰ θύματα ἐπιχώρια* ubi schol. *θύματα] πέμματά τινα ἐς ζώων μορφὰς τετυπωμένα.* Exempla innumera colligere non vacat.

[18] Plin. epist. VIII, 16 *permitto servis quoque testamenta facere eaque ut legitima custodio. Mandant rogantque quod visum; pareo ocius. Suis dividunt, donant, relinquunt dumtaxat intra domum; nam servis resp. quaedam et quasi civitas domus est.* Unde ut hoc obiter notem explicanda sunt quasi collegia intra familiam alicuius domini constituta. Cf. p. 78 n. 25, p. 96 n. 18. Contra collegium Mercurii Or. 2394 ex liberis pluriumque dominorum servis constat, ut cum collegio salutari eiusdem indolis fuerit. Erravit in hac re Dirksen. Abh. l. c. p. 81.

[19] Cf. l. 12 § 4 D. de relig. XI, 7. *Funus eum facere oportet quem decedens elegit; sin de hac re non cavit, scriptos heredes ea res contingit; si nemo scriptus est, legitimos.*

in lege hac quam proponuntur, tum maxime confirmat lapis alius Orell. 2977: „C. Iulio C. l. Fausto immuni intestato, quot ex funere eius superfuit, per Spironte(m) et Dextrum quaestores quartum [20]." Iulius cum collegio alicui funerario adscriptus sine testamento mortuus esset, ex funeraticio cura collegii elatus est, deinde quod ex funere superfuit in monumentum erogatum. Unde confirmatur tum quod hic demonstravimus, tum quod supra monumenta a collegiis posita funeraticiis vindicavimus.

Videamus de funere curando. — Quod si erat heres, cui funeraticium daretur, cura funeris non pertinebat ad collegium, nisi quod collegae qui ad rogum aderant sportulas accipiebant, quae dicebantur exequiarium.

col. I. v. 24. „(Defunctum) sequentur ex arca HS CCCC n., ex qua summa decedent exequiarii nomine HS I. n. qui ad rogus (ita lapis) dividentur. Exequiae autem pedibus fungentur." coll. col. I. v. 32 „deductis commodis et exequiario."

Verba *exequiae — fungentur* quid significent non video, nisi heredem non esse obligatum ut collegis ad rogum venturis rhedam iumentumve subministret; quod simile est legis XII tabularum de in ius vocando. Solos necessarios defuncti ivisse exequias notum est [21], quibus collegas adnumerandos esse apparet. Divisionem illam ad istos praecipue pertinere verbis cautum non est, sed cum in lege collegii heres iuberetur singulos nummos ad rogum dividere de funeraticio deductos, collegarum causa caput hoc receptum esse sequitur. — E diverso cum apud collegium funeraticium remanet, funus faciendum esse defuncto vidimus arbitrio quinquennalis et populi; scilicet cum intra miliarium vigesimum a Lanuvio mortuus est. Nam sepultura eius, qui ultra mill. XX defunctus est, cum commode

---

[20] *Scil. in monumentum insumtum est.* Orelli, recte.
[21] Kirchmann de funer. L. II c. 10.

a collegio universo fieri nequiret, quid tum faciendum sit diligenter ita perscriptum est, ut distinguatur utrum tempestive nunciatum sit necne.

col. I, v. 26 sq. Item placuit: quisquis a municipio [22] ultra milliar. XX decesserit et nuntiatum fuerit, eo exire debebunt electi ex corpore n(ostro) homines tres, qui funeris eius causam agant et rationem populo reddere debebunt sine dolo malo et si quit in eis fraudis causa inventum fuerit, eis multa esto quadruplum. Quibus *sing. nummus* dabitur; hoc amplius viatici nomine ultro citro sing(ulis) HS. XX n.

Sestertius — ita enim videtur legendum — datur pro exequiario, viaticum pro opera et impensis. — Quod si nuntiari non potuit, funeraticium exsolvitur ei qui funeravit, quasi gesserit negotia collegii:

col. I. v. 29 sq. Quod si longius *quam intra* mill. XX. decesserit et nuntiari non potuerit, tum is qui eum funeraverit, testa*to tabul*is signatis [23] sigillis civium Romanor. VII. et probata causa, funeraticium eius, *satis dato ab eis* neminem petiturum, deductis commodis et exequiario, e lege collegii dari *sibi petat*.

esse tribunal Libonis atque antiquissimum in comitio. Primo enim tempore tribunal ibi fuit, ubi magistratui sellam in comitio ponere placuit (Liv. VI, 15); Libonis tribunal quod primum dicitur, ita accipiendum est, ut ante eum omnia tribunalia pro re hic illic instruerentur, ille primus faceret, quod maneret. Quare nihil cogit, ut Libonis tribunal, quod primum erat locatum et lapideum, in eo loco collocemus, ubi primum ius dicebatur; imo apertum est accessisse hoc tribunal ad puteal aliquod, quod a Libone propter religionem in foro certo loco erat faciendum. — Minus etiam probat alterum, quod a Beckero p. 332. n. 612. affertur, argumentum desumtum ex narratione Herodiani I, 9, Severum in somnio vidisse Pertinacem equo vectum *διὰ μέσης τῆς ἐν Ῥώμῃ ἱερᾶς ὁδοῦ*; qui cum venisset *κατὰ τὴν ἀρχὴν τῆς ἀγορᾶς, ἔνθα ἐπὶ τῆς δημοκρατίας πρότερον δῆμος συνιὼν ἐκκλησίαζεν*, equum eo excusso subiisse Severo eumque vexisse *ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς μέσης*. Non intelligo, cur verba *ἔνθα—ἐκκλησίαζεν* referantur ad *τὴν ἀρχὴν* neque ad *τῆς ἀγορᾶς*, quod multo est simplicius. Nam ut optime quasi in foro insistere videtur qui rerum Romanarum potiturus est, ita de comitio eo tempore inepte haec dicerentur; acc edit quod, si ad *τὴν ἀρχὴν τῆς ἀγορᾶς* omen pertineret, Severus ibi constiturus fuisset neque in foro medio. — Nullis igitur idoneis argumentis topographi Germani comitium eam partem fori esse statuerunt, quae Veliis subiacet. Videamus an nobis succedat ultra coniecturae licentiam progredi.

II. Primum hoc apparet loca inter se coniuncta comitio adiacentia: curiam Hostiliam, senaculum, Graecostasin, Vulcanal, quod a Graecostasi vix diversum fuisse videtur (1), omnia fuisse in loco satis edito. Vulcanal dicitur a Dionysio II, 50: *μικρὸν ἐπανεστηκὸς τῇ ἀγορᾷ*, a Festo (v. statua) *supra comitium*; cf. Gell IV, 5. *constituit eam statuam* (e comitio) *in locum editum subducendam atque ita in area Vulcani sublimiori loco statuendam*. Item Graecostasis erat *supra comitium* (Plin. XXXIII, 1. 6.), *locus substructus a comitio* (Varro V, 32.). Super eam erat senaculum (Varro l. c.), super senaculum curia (Liv. XLI, 27.), unde etiam a gradibus curiae meridies observari potuit (Plin. VII, 60.)— Haec quae diximus omnia arte munita esse, ut supra comitio eminerent, mihi certe nemo persuadebit. Deficiunt omnia vestigia cum ruderum tum scriptorum; neque tantas moles in

» non avendo altro significato ». Imo si cui placebit incertis eiusmodi argumentis abuti, proponam eius generis unum quod facit pro mea sententia: scilicet basim solidam rotundam musei Lateranensis, similibus insignibus, forcipibus, malleo, incude conspicuam, cui inscriptum est PIETATI SACRUM. Quam cum observassem, statim quaesivi a viro eximio Ludovico Canina, quo loco reperta esset; qui pro sua humanitate respondit mihi effossam eam esse inter columnam Phocae atque octo columnas. Haec insignia si quis ita explicarit ut prope Vulcanal eam Pietatis aram fuisse statuat, me certe adversarium non habebit. Equidem tamen numquam utar eiusmodi lubricis argumentis.

(1) Becker. p. 286. seq.

ipsis Urbis aeternae primordiis iactas esse probabile est. At ut mittamus altum illud silentium insignemque talium munimentorum difficultatem, cuinam, quaero, Romani qui tum erant ita amentes videntur fuisse, ut loca edita ingenti labore substruerent, cum natura ipsa ea parasset quasi et perfecisset? Haec enim est magnitudo antiquorum Romanorum, quod nihil faciebant nisi necessaria, sed haec ita ut inertes Aegyptiorum moles suis operibus superarent. Forum Romanum oppositum est ex altera parte Capitolio, ex altera Veliae, dextrorsum habet montem Palatinum, sinistrorsum Suburam. Topographos nostrates si audimus, curia, senaculum, Graecostasis, Vulcanal, sublimi loco omnia sita quaerenda sunt a parte Suburae, ubi omnia plana. Videant alii quomodo placeat; me haec res statim ut Romam adii, ita pupugit, ut errorem suspicarer et denuo in eam rem inquirere statuerem. Quaestioni ei intentus cum locorum situm circumspicerem, neque de Suburana neque de Palatina parte cogitandum esse intellexi, cum mons Palatinus longius absit; haesi inter Veliam et Capitolium. At Veliae obstat, quod cum sacrae viae vestigia tum aedificiorum privatorum vestigia post templum Faustinae olim animadversa forum ab ipso Veliae colle satis longe remotum fuisse arguunt (1). Superest igitur ut comitium subiectum

(1) Becker p. 270. 290. Secutus sum quae plerumque traduntur, quamquam non ignoro solidis rationibus nequaquam ea defendi. Neque mirabor, si quis forum Romanum post Julium Caesarem ad arcum Titi usque pertinuisse demonstrabit. Quod enim provocant ad sacram viam, quae ex eo fere loco, ubi nunc sunt tres columnae (vulgo Castoris aedes), ad templum Faustinae e regione positum producta ibi forum terminarit, cum maximis difficultatibus obnoxia sunt quae de sacra via docent, tum, ut recte doceant, non absurdum mihi videtur per medium forum eam viam transiisse. Neque intelligo, cur ita regio octava, quae dimidium tantum forum complecteretur, exinde appellationem trahere nequiverit, quod praesertim nobis opponunt. Minus etiam probat quem auctorem citant Santi Bartoli (Fea miscell. p. CCXXXIV), qui, cum *incontro Ss. Cosma e Damiano nel mezzo appunto di Campo Vaccino* foderetur, aedificiorum rudera ibi reperta esse ait: *vi si trovarono edifizj sotterranei in quantità tale che non pareva che mai vi fosse stata piazza alcuna.* Sed addit ipse: *ben è vero che non parevano delli tempi li più antichi*, eaque rudera non pertinere ad id tempus, quo post gravissimas clades Romani in locis publicis aedificare solebant, ut imperatoribus constituendum esset, ne quis in campo Martio habitaret, quis asseverabit?—Quod si igitur rationes non satis firmae communi opinioni patrocinantur, multa et gravia obstacula eam videntur refellere. Splendidissima Urbis aedificia, basilica Aemilia, fora Nervae aliaque vicina, templum Pacis, basilica Constantini, Palatium, aedes Vestae, Castorum, basilica Iulia quasi continua et inter se coniuncta vacuam relinquunt totam aream a Capitolio usque ad summam Veliam, cuius areae infimam partem privatis aedificiis semper occupatam fuisse neque ullum Imperatorum loco aptissimo ad opera facienda usum fuisse vix et ne vix quidem probabile est. Deinde a Cæsare rostra ante tres columnas adhuc in radicibus montis Palatini superstites collocata esse infra apparebit; quod fecit ratione, si quidem forum eo tempore utrimque aliquantum porrigebatur. At si forum tum eo ipso loco finiebatur, cur in angulo

fuerit Capitolio, quod cum summi dei templum arcemque populi Romani sustineret, curiam quoque et comitium quasi suo iure ad se vocare videbatur. — Ita igitur cum intellexissem, quae neminem de his rebus sollicitum fugisse puto, nempe et communem opinionem nullis potius quam futilibus argumentis defendi, locorum naturam alia flagitare, in rem paullo diligentius inquirere coepi. Neque certe postulo, ut quae adhuc attuli de loci natura adversariorumque probationibus, pro argumentis habeantur, quanquam equidem magis confido Urbis aeternitati quam scholiastarum auctoritati. Hoc desidero, ut ii, quibus haec curae sunt, libero solutoque praeconceptis opinionibus animo argumenta mea audiant neque, quia nova profero, ideo hariolari me putent.

III. Ait Festus p. 347. Muell. *Senacula tria fuisse Romae, in quibus senatus haberi solitus sit, memoriae prodidit Nicostratus in libro qui inscribitur de senatu habendo: unum, ubi nunc est aedis Concordiae, inter Capitolium et forum, in quo solebant magistratus d. t. cum senioribus deliberare; alterum ad portam Capenam, tertium citra aedem Bellonae, in quo exterarum nationum legatis, quos in urbem admittere nolebant, senatus dabatur.* Hic locus Beckerum ita torsit, ut negaret eum adhiberi posse, ante quam demonstraretur, quis fuisset ille Nicostratus (1). Quod quanquam ignoro cum Beckero, tamen, quisquis fuit is qui scripsit de senatu habendo, rem bene novisse eum arbitror resque ipsa demonstrat. Novit enim senaculum ad portam Capenam, cuius exigua tantum notitia superest (2); deinde optime distinguit curiam et senaculum sequiori aetate saepe confusa, nam senaculum citra aedem Bellonae diversum ab aede Bellonae, in quam senatus frequenter vocabatur, est *brevis area a tergo* templi (Ovid. Fast. VI, 205), unde fecialis hastam iaciebat. Senaculum enim non erat locus tectus, sed area (3), ea, ni fallor, ubi senatores consistebant, cum curia nondum esset (4). Huiusmodi areas Nicostratus tres novit, inter quas fuisse notissimum senaculum prope curiam Hostiliam quis dubitabit praeter Beckerum? Imo primo loco ponere debuit et posuit etiam,

rostra posuerit, non intelligo. Longe alia res est de rostris antiquis, quæ in extremo comitio fuisse auctores tradunt; comitium enim tum ita exiguum erat, ut undequaque recta oratores cum populo agerent. Denique ita habemus, quod respondeamus de angusto fori spatio querentibus; quanquam eiusmodi difficultati haud multum tribuo. Id tamen velim teneant lectores, me hæc significare magis quam defendere neque aliud inferri ac forum laxatum videri a Caesare; reipublicæ liberae tempus quae protuli argumenta non attingunt.

(1) p. 286. n. 469.

(2) Liv. XXIII, 32. Becker p. 517.

(3) Becker p. 286.

(4) Id convenire videtur pristinae simplicitati videnturque postea inventae curiae, ut iudicia primum in foro, postea in basilicis fiebant. Quod indicat Val. Max. II, 2, 9 senatores in senaculo expectasse, donec a magistratu in curiam vocarentur, non improbo, sed posteriori tempori tribuo.

situm adiiciens *inter Capitolium et forum, ubi nunc est aedis Concordiae*. En testimonium gravissimum, quo uno peractum est de vero comitii loco. Sed accedit aliud simillimum. Varro V, 32, postquam verba fecit de comitio, curia, rostris, Graecostasi, ita pergit: *senaculum supra Graecostasin, ubi aedis Concordiae et basilica Opimia*. Putaveris satis aperte indicasse auctores gravissimos Varronem et Festum, ubinam senaculum fuerit. At Beckerus cum hoc loco de senaculo notissimo sermonem esse negare non posset, apud id aedem Concordiae finxit alias non memoratam; uti Nicostrati testimonio permotus, ubi est aedis Concordiae clarissima, senaculum aliquod ceterum ignotum fingere coactus est. At quaenam haec est licentia verique reiiciendi furor? Refutat eum ipse Nicostratus, qui plus quam tria senacula fuisse negat.— Denique si quaerimus accurate, quomodo curia, senaculum, Graecostasis in monte Capitolino se exceperint, addendi sunt duo loci Macrobii et Livii. Ait ille Sat. I, 8: *Saturnus habet aram et (= etiam) ante senaculum*, quam aram Festus collocat *in imo clivo Capitolino* (v. Saturnii), Dionysius *παρὰ τῇ ῥίζῃ τοῦ λόφου κατὰ τὴν ἄνοδον τὴν ἀγορᾶς φέρουσαν εἰς τὸ Καπιτώλιον* (I, 34). At haec, quamquam optime conveniunt cum eo quod iam vidimus, senaculum fuisse, ubi postea fuit aedis Concordiae, tamen novi nihil docent. Maioris momenti sunt Livii verba XLI, 27: (censores curaverunt) *porticum ab aede Saturni in Capitolium ad senaculum ac super id curiam* (1). Apparet curiam ibi fuisse, ubi postea tabularium aedificatum est, etsi non occupaverit totam tabularii aream, super aedem Concordiae. Ad eam porticus pervenit, quae iuxta aedem Saturni ducta senaculum transibat; quam diversam fuisse a porticibus *in latere clivi dextra subeuntibus* (Tacit. Hist. III, 71) contra Bunsenium (III, 2, 10) recte notavit Beckerus (p. 391). Eae enim fuerunt in monte qui nunc dicitur Caffarelli, neque porticum, quam Livius commemorat, post aedem Concordiae perfectam mansisse arbitror.—Ita intelligitur, ubi fuerint curia et senaculum; nempe illa, ubi nunc est pars tabularii dexterior intuenti a foro, hoc sub ea, ubi nunc est aedis Concordiae. Quod attinet ad Graecostasin sive Vulcanal, fuisse id infra senaculum docemur a Varrone; unde quamquam accuratior definitio infra (VII) dabitur, iam hoc loco intelligitur intercessisse clivum Capitolinum, quem adhuc videmus, inter Graecostasin atque senaculum sive aream aedis Concordiae (2). Con-

(1) i. e. ad senaculum et ad curiam super senaculum sitam. Beckerus p. 402 male *curiam* refert ad *curaverunt*, non ad praepositionem *ad* et, quod gravius est, ex hoc uno loco tertiam curiam a Calabra in Capitolio Hostiliaque in comitio diversam arguit, quam cum senaculo eius aedeque Concordiae iubemus exulare.

(2) Diversus, etsi vicinus, est locus Tiberi propior, qui apud auctores dicitur *sub aede Saturni*. Becker p. 314 n. 558, 343 n. 639, 359 n. 675. Ibi fuit milliarium aureum, quod minime esse molem latericiam adhuc ad arcum Severi conspicuam recte notavit Beckerus post Caninam.

tinuabat igitur Graecostasis comitium neque ullo vico separabatur; unde facile explicatur, quod mire Beckerum impedivit, quod dicitur Graecostasis a Varrone *a comitio locus substructus*. Quibus cognitis datur etiam ultra procedere atque imaginem huius loci proponere magis certam et vividam quam ullius praeterea superest. Primum enim, qui stat in foro, prope arcum Severi a sinistra infra clivum Capitolinum conspiciet aream satis amplam leniter inflexam quindecim pedes supra forum eminentem gradibusque cum eo coniunctam. En locus a comitio substructus. Deinde in arcu Constantini hanc partem fori Capitolio suppositam repraesentari acute vidit Canina. Ibi a sinistra propter arcum Severi sculpta sunt rostra cancellis ornata statuisque in columnis positis decora, unde imperator populum alloquitur (1). At e Vulcanali, quod a Graecostasi non esse diversum Beckerus bene ostendit, magistratus saepissime cum populo agebant. Denique in eodem Vulcanali cum alia monumenta erant (Gell. IV, 5), tum effigies columnis impositae (Fest. p. 290 v. statua), quales cernuntur aliquot sculptae in arcu Constantiniano.

IV. Minus speciosum, sed non minoris momenti est, quod ait Liv. XXXIV, 45. *in foro et comitio et Capitolio sanguinis guttae visae sunt*. Comitium medium fuisse inter forum et Capitolium non obscure indicatur. — Eodem pertinet quod Camillus, cum post plebem patriciis reconciliatam templum facturus esset, εἰς τὴν ἀγορὰν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀποπτον (2), id fecit in monte Capitolino (3); quis enim credet Camillum patricium ipsum principemque optimatium templum in forum plebeium spectans aedificaturum fuisse?

V. Quod attinet ad aedem Concordiae, complurium mentio fit apud auctores eodem paene loco sitarum. Ut omittamus delubrum Concordiae Novae, quod senatus cum curia Julia faciendum decrevit (4)— incertum enim est num perfectum ubique situm fuerit—, nominantur Cn. Flavii aedicula aerea facta in Vulcanali sive in Graecostasi (5), aedis (ἱερὸν) Concordiae facta a M. Furio Camillo in Capitolino monte (supra n. IV.); aedis Concordiae *in arce* locata bello Punico secundo (6); denique aedis Concordiae post C. Gracchi interitum ab Opimio aedificata ἐν ἀγορᾷ (7). Omnino videtur mos fuisse Romanorum, ut, sicuti post sedatas turbas civiles Concordiae aedem aediculamve pone-

(1) *Bunsen* Beschreibung Roms III, 2, p. 102. 115. In Curioso Urbis Romae reg. VIII. *rostrae tres* nominantur, quod recte, ut puto, Beckerus p. 360 accepit de Iuliis rostris, rostris sub veteribus hisque Capitolinis.

(2) Plutarch. Camill. 42.

(3) Ovid. Fast. I, 641. Becker p. 312. n. 549.

(4) Dio XLIV, 4. Becker p. 335 n. 614.

(5) Liv. IX, 46; Plin. XXXIII, 1, 6. Becker p. 289 n. 480. cf. p. 312 n. 550.

(6) Liv. XXII, 33; Fast. Praenest. *Concordiae in arce feriae*. Becker p. 409 n. 318.

(7) Appian. B. C. I, 26. Becker p. 309 n. 542.

rent, eam collocarent ad forum testem ut discordiarum, ita pacis restitutae. At ut Concordia vere forum intueretur, spectare debuit ad partem fori maxime insignem, id est ad comitium (1), itaque non dubito, quin haec templa omnia in ea parte montis Capitolini sita fuerint, quae ad comitium conversa est. De aedicula Flaviana ambigi non potest, ubi fuerit; item Furianam aedem Ovidius in eo loco ponit, ubi Tiberius Concordiae aedem, cuius miseras reliquias videmus, magnificentissime struxit. Ipsam Camilli aedem haud magnam fuisse suspicor, sed aediculam, uti Flaviana, quae et ipsa dicitur aedis; idem probo de aede tertia *in arce* facta, id est in ea parte montis quae nunc appellatur Araceli (2). Ita explicatur, quod is locus, qui antiquitus erat senaculum, post eas factas appellatur *area Concordiae* eadem plane ratione, qua Graecostasis antiqua a Vulcani aedicula dicitur *area Vulcani* (3). Contra Cicero aream Concordiae non novit eoque loco commemorat templum Concordiae gradusque eius (4), quod satis indicare videtur ab Opimio remotis parvis istis sacellis eo loco primum factum esse templum, quanquam aliud placuit Beckero (5). Idem Opimius prope Concordiae templum fecit etiam basilicam, quam suo nomine appellavit Opimiam. Auctor est Varro: *senaculum, ubi nunc est aedis Concordiae et basilica Opimia.* Quod hunc locum in dubium vocavit Beckerus p. 309, quasi eo solo haec basilica commemoratur, fecit is quidem fortiter, sed hic fortem fortuna minime adiuvit. Graviter enim se errasse ipse intelliget, cognitis lapidibus Marinianis (atti p. 212), quibus commemorantur MENOPHILVS EVCRETIANVS SERVOS PVBLICVS EX BASILICA OPIMIA et MENOPILVS ALF. SER. PVB. EX BASILICA OPIMIA. Quibus optime Varronis verba defenduntur. Hoc tamen non asseveraverim basilicam illam Concordiae Opimianae adiacentem superstitem fuisse tempore imperatorum; lapides enim sine dubio ad tempus reipublicae liberae spectant et verisimillimum est aedi Concordiae a Tiberio restitutae et amplificatae locum antiquitus basilicae Opimiae datum insuper cessisse.

VI. Quod si recte coniecimus, curiam inde ab a. DCXXXII. aedes Concordiae ante eam exstructa a foro separabat, quod minus commodum usum eius reddidisse credibile est. Neque dubito, quin haec causa

(1) *τὸ κράτιστον χωρίον τῆς ἀγορᾶς* Dion. I, 87 III, 1.—*τὸ φανερώτατον τῆς ἀγορᾶς* Dion. II, 29.

(2) Arcem hanc fuisse, non collem Tiberi propiorem cum Beckero aliisque censeo.

(3) Liv. XXXIX, 56. *sanguine pluisse in area Concordiae.* LX, 19 *in area Vulcani et Concordiae sanguinem pluit.* Iul. Obseq. 59: *in area Vulcani per biduum, in area Concordiae totidem diebus sanguinem pluit.*

(4) Cic. Philipp. VII, 8.

(5) Scilicet fuisse tria templa Concordiae, aliud in arce, aliud Furianum prope clivum Capitolinum, denique aliud in Vulcanali Opimianum, quod successisset in locum aediculae Flavianae.

sit, cur senatus frequentissime vocaretur in aedem Concordiae. Post aliquot annos deinde locus curiae videtur esse mutatus. Ex quo enim tabularium eo loco factum est, ubi nunc cernitur, curia Hostilia locum suum retinere non potuit. Accedit, quod a Cornelio Sulla curia Hostilia renovata est (μετεσκεύαστο) (1) neque eodem quo antea loco. Plin. XXXIV, 6, 12: *ea* (simulacra Pythagorae et Alcibiadis *in cornibus comitii* posita) *stetere, donec Sulla dictator ibi curiam faceret*. Unde apertissimum est curiam non eodem loco, quo antiquitus fuerat, tunc repositam esse, sed commodiori propiusque comitium. Optime cum his rationibus anni consentiunt; perfectum est tabularium a Q. Catulo cos. anno ab u. c. DCLXXIIII. curiaque facta a Sulla dictatore circa a. DCLXXIII.—Curiam a Sulla in ipso comitio collocatam esse sive totam sive partem Plinius auctor est. Ei convenit, quod ab Asconio ad Mil. 5 p. 43 Orell. dicuntur rostra quae erant in fori et comitii finibus *prope iuncta curiae* eademque a Varrone l. c. et Diodoro XII, 26 dicuntur *ante curiam* sita; item quae narrantur de Clodii corpore in foro in ipsa curia cremato, quae omnia ut minime convenirent curiae in loco tabularii sitae, optime intelliguntur de curia in ipso comitio posita. Accuratissime vero locum curiae prodit Varro, cum Graecostasin et sub senaculo et *sub dextra curiae* esse notat. Graecostasis ubi fuerit vidimus, nempe sub aede Concordiae a sinistra arcus Severi venienti a foro; quae si erat sub dextra curiae, curia aut fuit, ubi nunc est arcus Severi, aut in ea fori parte, ubi est basilica Aemilia, certe *in cornibus comitii*, ut ait Plinius, id est in angulo. Rectius collocatur in eo ipso loco, ubi nunc est arcus; ita enim et simplicius dicitur Graecostasis ei sub dextra esse et locus relinquitur basilicae Porciae, quam ex altero latere fori prope basilicam Aemiliam fuisse mox videbimus (VIII). Haud magnum aedificium fuisse crediderim, cum curiam Iuliam quoque splendidiorem sane et ampliorem exiguo loco contentam fuisse appareat. Graecostasis a Sulla non est mutata.—Ceterum quod ait Varro *sub* dextra curiae Graecostasin fuisse, arguit curiam supra hanc eminuisse, quod confirmant verba Ciceronis pro Flacco 24: *speculatur atque obsidet rostra vindex temeritatis et moderatrix officii curia*. Cum clivus Capitolinus sub arcu Severi septem pedibus supra forum emineat, fortasse explicatio petenda est a substructionibus curiae eo loco adhuc apparentibus.—Curia a Sulla facta auctore Caesare u. c. DCCVIII sublata est eoque loco senatus templum Felicitatis faciendum censuit; quod si perfectum est, parvula aedicula fuisse videtur, neque enim quisquam eam postea commemorat.

VII. Iam videamus, quid dicendum sit de loco Plinii vexatissimo VII, 60: *post aliquot annos adiectus est meridies accenso consulum id pronunciante, cum a curia inter rostra et Graecostasin pro-*

(1) Dio Cass. XL, 50. Becker p. 310 n. 544.

spexisset solem. Quae verba quomodo explicarentur a Beckero, nunquam satis mirari potui. Curia, inquit, ad meridiem spectaverit necesse est itaque sita fuit in fori latere septentrionali. Mitto, quod ea pars fori, quae Suburae proxima est, non septentrionalis est, sed inter orientem et septentrionem; hoc non intelligo, cur ab hac sola parte meridie solem prospicere possim. Nominantur enim duo loca, inter quae sol conspici debuit itaque minime necessarium est locum, unde prospicitur, directo oppositum esse meridiei, modo is sit, unde convertens me paullulum medii diei solem videam. Quare etsi refutatur hoc loco Plinii opinio eorum, qui curiam ibi ponunt, ubi medio die sol a tergo est, tamen minime eo accurate indicatur qua in parte fori curia fuerit. Sed accedunt alia longe graviora et viro *κριτικωτάτῳ* plane indigna. Comparans Varronis verba Graecostasin fuisse sub dextra curiae cum Plinianis, Beckerus bene intellexit nullo modo ea posse conciliari; nam Grecostasis si erat ad dextram curiae, qui prospiciebat inter rostra et Graecostasin, ad occasum se convertebat, non ad meridiem. Quid ille? » Necessario putandum est Varronem id dixisse *sub dextra*, quod a comitio intuenti erat a dextra ». Ita sub dextra fit quod est sub sinistra! Neque tamen animadvertit vir ceteroquin acutus, ita dicendum fuisse: *cum a curia inter Graecostasin et rostra prospexisset solem* neque, ut dixit Plinius, *inter rostra et Graecostasin*. Nam Graecostasis si est a sinistra curiae curiaque, ut opinatur Beckerus, sub novis, Graecostasis orienti, rostra occasui propiora sunt itaque, cum agitur de meridie inveniendo, illa prior appellanda erat. Sed haec hactenus, quae libenter praeteriissem, nisi utile esset demonstrari de rebus topographicis non Romae solum posse errari.—Ad rem ipsam quod attinet, iam vidimus de alia curia Varronem, de alia Plinium loqui; quanquam de vetere Hostilia quoque recte dici potuit sub dextra eius, sed longius remotam fuisse Graecostasin. Sed Varronem huius rei auctorem non habemus et versandum est in interpretandis solis verbis Plinianis. Cum fori latera non quatuor regionibus caeli opposita sint, septentrioque et meridies in angulis potius quaerendi, ut haec sit fere ad arcum Titi, ille ad carcerem Mamertinum, quam optime situs curiae supra demonstratus ad id convenit, quod meridies de gradibus eius cernebatur; tabularium enim supra sedem Concordiae ipsi meridiei multo magis oppositum est quam is locus, qui Beckero placuit. Ante eam erant rostra, paulo dextrorsum Graecostasis, inter quae sol pergens medium diem indicabat, itaque rectissime rostra priora nominantur.

VIII. Iam videamus de basilica Porcia, quae tota pendet ex curia. Ait Plutarchus de Catone agens: *ὑπὸ τὸ βουλευτήριον τῇ ἀγορᾷ παρέβαλεν*; contra Asconius in Mil. p. 34. agens de funere Clodiano: *quo igne et ipsa quoque curia flagravit et item Porcia basilica, quae erat ei iuncta, ambusta est*. Quod inter hos auctores minus bene convenit, id ex iis quae supra docuimus facile explicatur. Loquitur enim Plutarchus de curia antiqua in loco tabularii sita, quae erat supra Porciam basilicam, Asconius de curia Sullae, quae erat in cornibus comi-

tii, ubi nunc est arcus Severi, eaque fuit iuncta basilicae Catonis (1). Non recte dubitavit Beckerus, p. 300. num haec basilica ad ipsum forum pervenerit, diserte enim ait Plutarchus: τῇ ἀγορᾷ παρίβαλεν. Praeterea quatuor tabernas, quas Cato in publicum emit, ut basilicam aedificaret, (Liv. XXXIX, 44.) ad forum fuisse putandum est, domumque, quam Maenius vendidit Catoni, ad forum fuisse auctores sunt (schol. Cruq. ad Hor. Sat. I, 3, 21.). De loco ambigi non potest; curia Sullae cum in angulo comitii esset, basilica ei iuncta primum aedificium in ea parte, quae dicitur sub novis, fuerit necesse est inter curiam et basilicam Aemiliam. Denique Beckerus dubitationem movet, num fuerit Porcia basilica sub imperatoribus, cum amplius non nominetur. At commemoratur postea, ni fallor: Curiosum enim Urbis cum in reg. IIII. a Velia usque ad basilicam Aemiliam aedificia foro adiacentia nominasset, in reg. VIII. reliquos fines demonstrat Capitolinum versus et Palatinum montem incipitque ita: *basilicam argentariam. Templum Concordiae et Saturni et Vespasiani.* Basilicam istam argentariam in breviario *vascularíam* dici egregie Marinius demonstravit (atti p. 248), vascularios enim non fictilia, sed argentea aureave vasa confecisse commemorarique in lapide *aurarium et argentarium de basilica vascularia.* Sita fuit, ut docet notitia, inter Aemiliam et Concordiae templum. Accedit, quod in ordine Romano Benedicti itur *per clivum argentarium* (i. e. salita di Marforio) *inter insulam eiusdem nominis et Capitolium;* erat igitur insula argentaria ab arcu Severi Suburam versus ibique basilicam argentariam fuisse consentaneum est. Cf. Becker p. 413. Cum igitur et Porcia et argentaria basilica eodem plane loco ferantur fuisse, unam eandemque basilicam duplici nomine alio ab auctore, alio a negotiis ibi sollemnibus desumto appellatam esse suspicamur. Cui favet, quod in hac parte fori olim fuerunt tabernae argentariae (Becker p. 295. sq.), quarum quatuor Catonem emisse, ut basilicam faceret, supra vidimus. Postea argentarii videntur stetisse in basilica, ut antea in tabernis, unde aurarium de hac basilica commemorari supra vidimus. De ea cogitavit Varro, ubi ait (apud Nonium v. tabernae) ex tabernis factas esse basilicas, et ad eam refero quoque versum Plauti Curcul. IV, 1, 11 quamvis corruptum et obscurum: *ditis damnosos maritos sub basilica quaerito,* nam praeter Porciam Plautus basilicam non novit. Fortasse *S* quasi male geminata deleta scribendum est *dites damnosos marito sub basilica quaerito,* quod non male quadrat in argentarios iuvenibus matronas corrupturis mutuo pecuniam praebentibus. Ita intelligitur, cur basilica modo Porcia modo argentaria appellata sit.—Quod si recte haec disputata sunt, non minimum argumentum id esse puto

(1) Becker p. 277. his locis usus est, ut Sullam eo quo fuerat loco curiam restituisse demonstraret. Quod valeret, si Plutarchus et Asconius eundem situm indicarent; at ille sub curia, hic iuxta curiam basilicam posuit, quod non est idem.

de curia verum me vidisse. Ceterum eo loco, in quo Porciam basilicam collocavimus, ad S. Martinam a Flaviano praef. urb. post Chr. a. CCCIX. institutum est *secretarium senatus* (Cf. Becker p. 354); certe inscriptio sive, ut aiunt, ad S. Martinam reperta est, sive, ut crediderit aliquis, in ea ecclesia tantum extabat, id indicare videtur, quanquam nihil vetat id paulo alio loco propius ad Suburam collocare. Ut tamen demus re vera eo ipso loco usum esse praefectum, ut secretarium faceret, partem tantum basilicae ad hanc rem eum usurpasse puto; basilica enim in medium usque aevum mansisse videtur.

IX. Pendent porro ex basilica Porcia Lautumiae, in quibus Cato duo atria emit, ut basilicam faceret (Liv. XXXIX, 44). Fuerunt igitur sive sub monte Capitolino sive in imo monte ea parte, ubi est carcer Mamertinus. Quod confirmat et Varro, cum ait eas appellatas esse *quod hic quoque in eo loco lapidicinae fuerint* (V, 32), et Livii descriptio incendii XXVI, 27—*argentariae, quae nunc novae appellantur, arsere; comprehensa postea privata aedificia—neque enim tum basilicae erant— comprehensae Lautumiae forumque piscatorium*. Oritur incendium sub clivo itaque progreditur, ut sinistrorsum quoque latius saeviat. Unde apparet Lautumias, cum prius arserint, propius abesse a Capitolio quam forum piscatorium, quod erat post basilicam Aemiliam (Becker p. 267). Beckerus cum p. 262 sq. Lautumias collocaret pone templum Faustinae, neque explicavit, quae lapidicinae ibi cogitari possent, neque cur Lautumiae ante forum piscatorium arderent. Quod igitur Beckerus multis argumentis coarguit Lautumias diversas esse a carcere Mamertino, id ita concedimus, ut Lautumias et carcerem eodem fere loco fuisse arbitremur, fortasse aedificia aliquo modo coniuncta.

X. Antequam procedamus ad ea, quae Caesar et post eum alii Imperatores in foro mutaverunt, agendum est de quibusdam rebus, quarum commemoratio ad plenam fori, quod fuit liberae reipublicae tempore, notitiam videtur pertinere. *Rostra* iam supra (VI) vidimus fuisse ante curiam loco paullo inferiori satis vicina et prope iuncta curiae; quae verba Asconii tamen ita accipienda sunt, ut opposuisse eum rostra, quae suo tempore erant, longe a curia remota veteribus istis curiae adiacentibus non obliviscamur. Erant enim rostra antiqua sita in confiniis fori et comitii (1) sive, ut ait Dio XLIII, 49, in medio fere foro (sensu latiori scil.), itaque separabantur a curia, quae porrecta erat in ipsum comitium tota comitii latitudine, quatenus curia eam non occupaverat. Porrigebatur itaque comitium ad medium fere forum; accuratius id definiri potest ope scholiastae Horatiani ad Hor. Sat. II, 3, 18, qui medium Ianum collocat *prope basilicam Paulli vel pro rostris*. Rostra igitur ante basilicam Aemiliam fuerunt. Ipsius medii Iani vestigia, quae Labacco reperit inter S. Adrianum et Faustinae templum, contigit felici casu, cum ita cum alia multa tum fines fori et comitii

(1) Becker p. 279. Argumento est quod de his rostris oratores cum populo agebant primum in comitium, postea in forum conversi.

cum aliqua certitudine determinentur. Quaesitum denique est, quamdiu rostra eo loco manserint; constat enim ea esse transposita fuisseque tempore Augusti *sub veteribus* (Suet. Aug. 100). Ait Dio de C. Caesare XLIII, 49. *καὶ τὸ βῆμα ἐν μέσῳ που πρότερον τῆς ἀγορᾶς ὂν ἐς τὸν νῦν τόπον ἀνεχωρίσθη*. Putaveris satis aperte locutum esse gravissimum auctorem, nihilo minus impugnatur a Beckero p. 337 sq. qui rostrorum transpositionem tribuit Augusto. At tacet monumentum Ancyranum, cui ipse Augustus quae fecerat omnia intulit neque parum eius silentio confirmatur testimonium Dionis. Cui si fides habenda est, sane Beckerus admodum haeret; nam si rostra Caesar transposuit, ea rostra, ante quae corpus eius crematum est (Liv. epit. 116), nova fuisse putanda sunt, cumque Appianus B. C. II, 148 id crematum esse in foro ante regiam scribat, certissimum est nova rostra fuisse sub veteribus ante regiam, id est eo ipso loco, in quo a Beckero vetera collocantur (1). Quam bene vero haec cum nostris conveniant, nemo non videt. Antiquissimum *tribunal* ubi fuerit non constat; Libonianum id non fuisse supra demonstratum est (I). Quae praeterea in foro commemorantur tribunal Aurelium (Becker p. 290. n. 487. 324.) tribunalque quoddam in medio foro (Cic. ad Qu. fr. II, 3) neque num fuerint diversa, neque ubi fuerint, neque num referenda sint ad tribunal quod fuit in comitio (Becker p. 280), exploratum est.—Una indicatio superest a Beckero (Nachtrag. p. 58.) allata, quod Dionysius III, 71. Attum Navium cotem secuisse refert in tribunali. Inde effici videtur apud puteal Navii fuisse tribunal. At haud scio an erraverit Beckerus βῆμα interpretans tribunal, cum rostra ita appellentur. Porro videndum est de *sacro Cluacinae*. Id fuisse ad tabernas novas, id est prope arcum Severi, recte demonstravit Beckerus p. 348. ex Liv. III. 48; non recte reiecit, quod efficitur ex duabus fabulis coniunctis, comitium ita appellatum esse, quod Romulus et Tatius in eo post pugnam coissent (Beckerus p. 273); tum apud signum Cluacinae Romanos Sabinosque depositis armis se purgavisse (Plin. XV, 18, 36): fuisse signum Cluacinae Veneris in comitio. Iam vero invento haec nova accedit confirmatio. *Tabernas* etiam ad comitium, non ad forum factas esse contra Beckerum non obscure indicat Dionysius III, 67; cf. Beckerum p. 284 n. 463.

XI. Magis implicata sunt quae traduntur de Atti Navii statua, de puteali supra cotem et novaculam imposito, denique de fico Ruminali, (Becker p. 291 seq.) quae omnia in comitio fuisse constat. Puteal hoc non fuisse Libonianum ambigi non potest, cum auctores id ita com-

(1) Quae praeterea affert Beckerus p. 337. cf. p. 224, ut Ciceronem contra Antonium non ex novis rostris verba fecisse demonstret, refutatione non indigent.—Ceterum Regia quamdiu fuerit, non constat; non absimile videtur a vero eam, cum sub Nerone conflagrasset, non esse refectam eiusque in area factam esse a Domitiano aedem Minervae; Becker p. 355.

memorent, ut fama magis quam oculis se de eo certiores esse factos prodant. Cic. de divin I, 17 *cotem—defossam in comitio supraque impositum puteal accepimus*. Liv. I, 36 *cotem eodem loco sitam fuisse memorant*. Statuam Livius ait fuisse *in comitio in gradibus ipsis ad laevam curiae* et ne dubitetur, de quanam curia id accipiendum est, accedit Plinius XXXIV, 5, 11: *Atti Navii statua fuit ante curiam, cuius basis conflagravit curia incensa P. Clodii funere*. Cum et Livius et Plinius loquantur de eadem statua, quae eorum tempore iam interierat, eandem etiam curiam nominare putandi sunt, nimirum curiam Hostiliam Sullae. Optime convenit, quod hanc in ipso comitio fuisse scimus; ita Atti statua quanquam in gradibus curiae, in comitio tamen fuit, ubi eam ideo collocare cogimur, quod puteal in comitio factum (Cic. l. c.) *eodem loco*, quo statua, a Livio ponitur. Videtur simile quid huic statuae evenisse, quod statuis Pythagorae et Alcibiadis in cornibus comitii positis, quas a Sulla curia ibi facta remotas esse supra notavimus. Atti statuam et ipsam locum curiae destinatum impedientem cum removere religio esset, in ipsos gradus recepta videtur esse. Ut haec omnia facile explicantur, ita difficultatem habet, quod Dionysius (III, 71) hanc statuam funere Clodiano incensam in foro ante curiam vidisse se refert. Curia haec non potest non esse Iulia, quam mox demonstrabimus fuisse a sinistra basilicae Iuliae; statua vero, nisi subest error aliquis, restituta et antiquo loco reposita videtur, praesertim cum puteal a Dionysio dicatur fuisse ὀλίγον ἄποθεν. Neque pugnat inter se fuisse statuam cum a laeva curiae Hostiliae, tum ante curiam Iuliam; utrumque convenit in locum paulo ante arcum Severi, modo cogitemus ex altera parte fori basilicam Porciam fuisse sane neque amplam neque splendidam, ideoque minus aptam, ad quam statuae locus indicaretur. Ceterum si quis hanc difficultatem ita expediet, ut statuae locum mutatum esse eamque, cum antea in ipso puteali fuisset, iam in vicino e regione curiae Iuliae collocatam esse statuat, non mihi displiceat haec fortasse simplicior ratio. Denique ficum Ruminalem, quae a Palatio in comitium Atti Navii miraculo transposita credebatur, Dionysius prope statuam fuisse dicit, ut et ipsa in angulo comitii inter basilicam Porciam et arcum Severi esset. Cui rei apprime convenit, quod lupa illa antiquissima hodieque in Capitolio existens, si fides est Flaminio Vaccae, reperta est ad arcum Severi (1); hanc enim fuisse sub ficu nemo ignorat. Quare cum et fulminis vestigia et locus, ubi reperta est, eo ducant ut lupa Capitolina ea ipsa credatur, quam Cn. et Q. Ogulnii aediles u. c. CCCCLVIII ex aere multaticio sub ficu Ruminali dedicaverunt, iam nihil obstat, quominus verum putemus, quo, quicunque animus antiquitatis religione percellitur,

(1) Montfaucon diar. Ital. p. 172. Quod alii eam inventam tradiderunt apud S. Theodorum (Platner III, I, 118), ideo minorem fidem habent, quod ibi ficum Ruminalem lupamque olim fuisse tum vulgo credebant.

sua sponte fertur. Equidem ex his quaestionibus topographicis, quas spinarum plus habere quam fructuum plerique consentiunt, satis magnum recepisse me arbitrabor, si contulero aliquid, quo hoc signum genuinum esse arguam, quod, etsi horridum et incultum, tamen magis commovit animum meum quam pulcherrima quae circumstant simulacra.

XII. Denique ut quasi coronam operi imponamus, afferemus locum Plauti bellissimum, ubi, quod suo tempore erat forum, vividis coloribus depinxit. Quod adhuc nemo potuit, ut ordine omnia a Plauto recenseri demonstraret, nobis ita successisse apparebit, ut ipsi miraremur. Ita scribit poeta Curcul. IV, 1, 9 sq.

Qui periurum convenire volt hominem, mitto in *comitium;*
Qui mendacem et gloriosum, apud *Cloacinae sacrum.*
Ditis damnosos marito sub *basilica* quaerito;
Ibidem erunt scorta exoleta quique stipulari solent;
Symbolarum collatores apud *forum piscarium.*
In *foro infimo* boni homines atque dites ambulant.
In medio propter canalem, ibi ostentatores meri.
Confidentes garrulique et malevoli *supra lacum,*
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam
Et qui ipsi sat habent quod in se possit vere dicier.
Sub Veteribus ibi sunt qui dant quique accipiunt fenore.
Pone aedem Castoris ibi sunt subito quibus credas male.
In Tusco vico ibi sunt homines qui ipsi sese venditant.
In Velabro vel pistorem vel lanium vel aruspicem
Vel qui ipsi vortant vel qui aliis ut vorsentur praebeant.
[Ditis damnosos maritos apud Leucadiam Oppiam]

Ut omittamus ultimum versum, quem male repetitum esse ex v. 11. apertum est, omnia recte se excipiunt, modo *comitium,* quod primo loco nominatur quasi praestantissima fori pars, sub clivo Capitolino fuisse concedatur. Iam sequitur a sinistra *Cloacinae sacrum,* quod vidimus esse apud arcum Severi (X), deinde *basilica Porcia,* sita ante basilicam Aemiliam, tum *forum piscarium,* ubi postea facta est basilica Aemilia, denique *forum infimum,* quod, etsi alias non nominatur, optime tamen accipitur de ea parte fori, quae longissime abest a clivo Capitolino. Ibi enim ad templum Faustinae re vera forum est *infimum.* Postquam recensuit quae sinistra ad forum erant, *in medio foro* nominat canalem ceteroquin ignotum (cf. Becker p. 328) pergitque ad dextram partem, ubi primo loco est locus quidam *supra lacum.* Qui lacus non potest esse neque Curtius neque Iuturnae, cum neuter colli subiectus sit; optime intelligitur de lacu Servilio, quem Festus p. 290 ait fuisse in principio vici iugarii continentem basilicae Iuliae; is enim fuit sub clivo Capitolino. Cf. Seneca prov. 3 *videant largum in foro sanguinem et supra Servilium lacum—senatorum capita.* Ita Plautus a dextra quoque incipit sub Capitolio pergitque deinde ad *ve-*

teres, mox ad *aedem Castoris*, quibus adiungit quae his continentia Tiberim versus sequebantur, Tuscum vicum atque Velabrum. Quae cum omnia sint notissima, hoc tamen inde efficitur Plautum, ut bonum poetam facere oportet, quidquid appellat, posuisse ordine neque temere, ut alii opinati sunt, locorum recensum effudisse.

XIII. Curiam Iuliam a Caesare eodem loco quo fuit Hostilia Sullae factam esse, quod quidem Dio Cass. XLIV, 17 videtur indicare, optime Beckerus p. 331 n. 609 reiecit, eo motus, quod curia Iulia profano loco facta est (Gell. XIV, 7), ut templum ibi constituere necesse esset. Ubi constituta sit, eius rei exigua memoria ad nos pervenit, sed tamen quae sufficiat ad locum indagandum. Fuisse eam sive *in comitio* sive *παρὰ τῷ κωμιτίῳ* Plinius (XXXV, 4, 10) et Dio Cassius (XLV, 17) auctores sunt neque falli mihi videor, cum curiam nisi ad comitium Romanos habuisse nego. Certe curiae quaecunque fuerunt, eas diversis quidem locis, sed omnes ad comitium inve eo fuisse et vidimus et videbimus. Accuratius, ubi fuerit curia, indicat pulchrum Propertii carmen (IV, 4), quod incipit:

Tarpeium nemus et Tarpeiae turpe sepulcrum
  Fabor et antiqui limina capta Iovis.
Locus erat felix hederoso consitus antro
  Multaque nativis obstrepit arbor aquis
Silvani ramosa domus. — —

Apud eundem fontem postea curiam factam esse ait v. 13:

— — ubi nunc est curia septa,
  Bellicus ex illo fonte bibebat eques.
Hinc Tarpeia deae fontem libavit — —

Iam quaeritur, quinam fons hic sit. Quod primum succurrit esse lacum Iuturnae (Becker p. 298) ad aedem Vestae, quoniam deae Vestae aquam petit Tarpeia, id recte improbavit Backerus p. 334, cum Vestae non ex lacu Iuturnae quanquam vicino, sed ex fonte Camenarum ad portam Capenam sito aqua peteretur. Praeterea quam Tarpeia colit Vesta diversa est ab ea, cui postea templum dedicatum est ad forum, ut omittam et ad lacum Iuturnae vix comitium porrigi et in ea parte fori templa Vestae et Castoris spatium curiae sufficiens non relinquere (B. 335).—Contra lacum de quo quaeritur non longe a monte Tarpeio abfuisse Propertius etsi non dicit, satis aperte tamen ponit; eo enim a Capitolio aquatum it Tarpeia, cum in foro Sabini castra fecissent eoque quotidie revertitur amore regis capta (v. 23 sq.):

Saepe illa immeritae causata est omina Lunae
  Et sibi tingendas finxit in amne comas;
Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis *rel.*

Quae omnia quam optime conveniunt in lacum Servilium (XII) ipsi

rupi Tarpeiae subiectum; itaque curia Iulia inter vicum iugarium basilicamque Iuliam media videtur fuisse. Eodem ducit, quod Propertius felicem illum lucum Tarpeium, ubi multam hederam fontis aquae alebant, appellat ramosam domum Silvani. Ficus enim, ait Plinius XV, 18, 20, *fuit ante Saturni aedem Urbis anno CCLX. sublata sacro a Vestalibus facto, cum Silvani simulacrum subverteret*. Puto eam ficum fuisse in ipso nemore Tarpeio, quod in imo monte supra lacum videtur fuisse, id est ante aedem Saturni. Neque sine causa in eo luco et Tarpeia Vestae sacerdos aquatum ivit et sacrum pro arbore caedenda factum est a Vestalibus. Quae qui reputaverit, et quantum in errorem Beckerus inciderit, cum poetam hanc elegantissimam descriptionem non ex antiqua Urbis forma sumsisse, sed finxisse sibi suspicaretur, intelliget et admirabitur, quanta doctrina vates ingenium suum adiuverit, neque de vero curiae Iuliae loco amplius dubitabit.—Haud scio annon ad hanc etiam pertineant verba Statii silv. I, 1, 25 de statua Domitiani in medio foro posita:

At laterum passus hinc Iulia templa (al. tecta) tuentur
Illinc belligeri sublimis regia Paulli.

Ut basilica Paulli a laeva est, ita a dextra sunt Iulia sive templa sive tecta, quibus basilicam Iuliam significari constat, curiam praeterea Iuliam simul comprehendi minime a vero abhorrere videtur, quamquam res incerta est (cf. Becker p. 358).—Multo maioris momenti est, quod Graecostasin imperatorum — nam hanc quoque suo loco motam esse ut rostra et curiam ex Plinio XXXIII, 1, 6 constat, cf. Becker p. 335 n. 614—notitia collocat inter vicum iugarium et basilicam Iuliam, quo factum est, ut topographi omnes communi consensu eam ponant in eo ipso loco, ubi nos ex Propertio demonstravimus curiam Iuliam fuisse. Quanquam non traditur, a quo Graecostasis ibi facta sit, tamen cum Sulla curiam faciente Graecostasis antiqua locum suum retinuerit (VI), cogimur paene, ut novam hanc Graecostasin coniungamus cum curia Iulia. Quae si recte disputavimus, eundem locum Graecostasi Iuliae attribuit notitia, quam curiae Iuliae Propertius (1), quod quantopere nostras rationes confirmet, malo ab aliis intelligi quam a me praedicari. At ulterius fortasse possumus progredi quodque Augustus in monumento Ancyrano a se factam esse *curiam et continens ei chalcidicum* praedicat, ad curiam hanc et Graecostasin referre. Considerantibus nobis, quantum spatium intersit inter vicum iugarium, cuius pavimenti vestigia reperta sunt (Bunsen III, 2, 14), atque basilicam Iuliam, cuius fundamenta adhuc visuntur, sane angusto loco curiam

(1) Denique addo aliud, quod indicare satis erit, doctiores explicabunt: coniungendus videtur versus ille, quem supra attulimus, *Saepe illa immeritae causata est omina Lunae* cum feriis *Lunae in Graecostasi*, quarum memoriam Kalend. Pinc. a. d. IX. Kal. Sept. servavit.

et Graecostasin fuisse apparebit, in quo plus uno aedificio vix recte collocari potuit. Quid autem sit chalcidicum, ipse Beckerus ignorari adhuc dicit (p. 332 n. 610) neque equidem scio; id video, Vitruvii verba de Chalcidico, ubi de basilicis loquitur, optime convenire ad loci naturam (V, 1, 4): *Sin autem locus erit amplior, in longitudinem chalcidica in extremis partibus constituantur.* Sane locus curiae Iuliae destinatus erat *amplior in longitudinem,* ut recte chalcidica reciperet; denique chalcidicum cum videatur fuisse deambulatorium aliquod substructum *(loggia),* (1) Graecostasis omnino ita potuit appellari. Chalcidicum illud sive Graecostasis num ante curiam an pone facta sit, dubitari potest. Quod curia ad comitium sita esse dicitur, parum probat, cum chalcidicum *ei continens* quasi pars curiae esset. Contra Graecostasis cum legatis destinata esset, ut spectarent quae in foro agerentur, curia a foro separari non potuit. Quod videtur verius.

XIV. Curia Iulia, si Beckerum audis, cum Neroniano incendio conflagrasset, non est restituta, sed nova in alio loco a Domitiano facta (p. 346 sq.). Domitianum curiam fecisse multi auctores sunt; at locum esse mutatum minime verisimile videtur. Ait enim Dio LI, 20, Augustum posuisse in curia τὸ ἄγαλμα τὸ τῆς Νίκης τὸ καὶ νῦν ὄν, quod Victoriae simulacrum in curia ab aliis quoque commemoratur (cf. Beckerum l. c.). Iam cum Dio idem illud signum, quod Augustus in curia dedicaverat, adhuc videret, curiam neque Neronis incendio consumptam neque loco mutatam esse indicare videtur; quo enim Beckerus confugere cogitur, signum illud ex curia raptum et in nova repositum esse, id audacius est quam verius dictum. Neque placet quod Romani a Nerone ad Domitianum sine curia fuisse dicuntur. Ne tamen iniqui simus in virum illum, qui, quamquam ea acrimonia in alios invehitur, ut quasi omnes lacessiti popularem ei actionem intendere cogamur, tamen cum iudicio satis subtili, tum insigni materiae colligendae diligentia praeclare de his antiquitatibus meruit: ne, inquam, abusi iure talionis et ipsi iniqui simus in eum, quod curiam a Domitiano alio loco refectam esse proposuit, fecit paene coactus. Cum enim complura testimonia certe post Domitiani tempus curiam sub Monte Capitolino fuisse arguerent, nisi Domitiano hoc tribuebat, corruebant quaecunque de curia Iulia, quae ei est ubi nunc est templum Faustinae, disputaverat sequebaturque ruinam, quidquid ei placuerat de comitio aliisque plurimis locis. Nobis videndum est, num, quae de curia post Domitianum traduntur, ad situm Iuliae convenire videantur, ipsius adversarii testimonio usi, quod, ni alia obstarent, simplicissimum esset curiam Domitiani sive senatum—

(1) Graecostasis huius duplex pictura exstat, altera admodum mutila inter fragmenta quae ex imagine Urbis antiquae in Capitolio servantur, altera in arcu Constantini; nam ad Graecostasin refero, quod cernitur aedificium arcubus substructum intuenti a laeva. Quantum video-rudis enim sum in his rebus-utraque *loggiae*, ut ita dicere liceat, bene convenit. Neque ineptum erat, quod factum esse ab Ausonio legi alicubi, Homeri ὑπερῷον vertere *chalcidicum.*

ita enim hac aetate dici solet—eodem loco collocare, quo antea fuerit Iulia. Beckerus p. 354 sq. senatum Domitiani ad alteram fori partem collocat inter Capitolium et basilicam Aemiliam, usus tribus argumentis. Primum est, quod ad S. Martinam inscriptio reperta est pertinens ad *secretarium senatus* (cf. VIII), modo ibidem reperta sit; nihil enim constare videtur, nisi quod olim in ecclesia S. Martinae asservabatur. Sed ut reperta illo ipso loco sit, ipse Beckerus secretarium senatus a curia omnino esse diversum statuit, neque quidquam impedit, quominus in laeva parte fori Flavianus p. Chr. CCCIX. secretarium instituerit, cum curia inde ab Augusti tempore in dextra esset. Certe si quis a. 309 curiam loco mutatam atque ad arcum Severi aedificatam esse putabit, non dissentiam; at de loco curiae ante hunc annum altum silentium est in lapide. — Deinde provocavit vir doctissimus ad notitiam, quae in reg. VIII. ita incipit: *forum Romanum Magnum. Continet rostras III. genium populi Romani. senatum. atrium Minervae. forum Caesaris Augusti Nervae Traiani. templum Traiani et columnam—cohortem VI vigilum. basilicam argentariam. templum Concordiae* et deinceps ordine progreditur ad aedem Vestae. Omnia hic ordine recenseri existimans, senatus ubi fuerit, inde expiscari conatur; at vereor, ne id ipsum erraverit ordine nominari, quae praecedunt basilicam argentariam, nam deinceps omnia recte se habere nemo ambigit. Ut eligamus tria, quae ubi fuerint, dubitari non potest: rostra, forum Traiani, templum Concordiae: templum medium fuit inter rostra atque forum; cur recensetur tertio loco? Si hic est ordo, vere dixit Beckerus eum esse satis mirum (p. 710). Non praetereundum etiam est, rostra, quae terna fuerunt, foraque omnia, quotquot hic nominantur, componi, quod vix accidere potuit, nisi quae loco disiuncta erant scriptor brevitatis causa coniunxit. Quid quod fora ita disposita videntur, ut tempore constituta sunt a Caesare usque ad Traianum? Equidem quo saepius de hac re cogitavi, eo magis eo inclinavi, ut in hac regione, quaecunque publica populi Romani aedificia et quasi summarum rerum signa sedesve esse videbantur, ab auctore in principio simul collocata existimarem. Atrium Minervae cur in hac serie nominetur, postea apparebit; sed casu vix videtur factum esse, ut nil nisi rostra, genius populi, curia, fora primo loco recenserentur. Quare missa facienda sunt quaecunque ex hac serie Beckerus extricavit neque credo ullum nisi praeconcepta opinione captum negaturum esse, quae ante basilicam argentariam collocata sint, nullo modo simplicem ordinem locorum recipere.—Quod tertio loco posuit Beckerus, id refutabit magis quam confirmabit eius opinionem. Scriptum est in catal. Imp. Vienn. t. II. p. 247. Roncall. *arserunt* (regnante Carino) *senatum, forum Caesaris* [*patrimonium*] (1), *basilicam Iuliam et Graecostadium,* et paulo post tempore Diocletiani: *operae publicae fabricatae sunt senatum, forum Caesaris, basilica Iulia* cet. Quomodo id accipi possit de aedificiis sub monte

(1) *Patrimonium* est glossema ineptissimum et apertissimum.

Capitolino utrimque deletis, equidem non video, cum ignis non pertinuerit ad templum Concordiae aliaque in medio posita. Imo hic non obscure indicatur et senatum et forum Caesaris continentia fuisse basilicae Iuliae et Graecostadio, quae in dextra fori ad clivum fuerunt itaque hoc incendium argumento est curiam tum quoque eo loco fuisse quo Caesar eam fecerat. Quod si ita se habet, non hoc solum, sed alia complura erravit Beckerus; ita enim constitutae sunt hae quaestiones topographicae, ut ne in minima quidem re impune erraveris. Nos, quantum res permittit, ita de singulis agemus, ut per se quidque cognoscamus neque inventa superstruamus inventis. Et primo quidem loco disputabitur de templo Iani belli pacisque indice, quod ante curiam fuisse Procopius ait Goth. I, 25: *ἔχει δὲ τὸν νεὼν ἐν τῇ ἀγορᾷ πρὸ τοῦ βουλευτηρίου, ὀλίγον ὑπερβάντι τὰ τρία φᾶτα· οὕτω γὰρ Ῥωμαῖοι τὰς μοίρας νενομίκασι καλεῖν.*

XV. Iano *apud forum olitorium* C. Duilium templum struxisse auctor est Tacitus (Ann. II, 49), quo referenda sunt quae leguntur in Kalendariis Capranicorum XVI Kal. Sept, Amiternino XV Kal. Nov. *Iano ad theatrum Marcelli.* Eo enim magna pars fori olitorii occupata est (Becker p. 600 sq.). Neque diversus situs est, quem habet Festus p. 285: *Religioni est quibusdam porta Carmentali egredi et in aede Iani, quae est extra eam, senatum haberi, quod ea egressi CCCVI Fabii apud Cremeram omnes interfecti sunt, cum in aede Iani S. C. factum esset, ut proficiscerentur.* Porta enim Carmentalis in ea parte muri fuit, quae est a Capitolio ad Tiberim (Becker p. 136 sq.). Extra hanc portam, sed proxime eam fuit aedes Iani; cum enim *apud forum olitorium,* non in foro esset portae vicino, quasi ad ipsam portam fuerit necesse est. Iam quaeritur, num hoc Iani fanum fuerit clarissimum, quo ex Numae instituto pax bellumque indicabatur. Quo ita multa ducere videntur, ut vix contra dicere quemquam ausurum fuisse credideris. Primum constat fuisse hanc aedem vetustissimam; cum enim in hac de Fabiorum itinere senatus haberetur, ipse Duilius eam non fecit, sed refecit. Deinde ne quis opponat duo templa Iani utrumque antiquissimum esse potuisse: accedunt testes locupletissimi Ovidius, Martialis, Servius, qui alterum Iani delubrum ante Domitianum fuisse quasi uno ore negant. Ovidius cum videret tot ianos i. e. fornices in compitis in Urbe esse collocatos, Deum Ianum in uno tantum stare miratus est Fast. I, 257:

> Cum tot sint iani, cur stas sacratus in uno
> Hic ubi iuncta foris templa duobus habes?

Idem arguit Martialis X, 28, ante quam Domitianus faceret Ianum quadrifrontem in foro transitorio, exiguos eum penates habitasse. Accedit Servius ad Aen. VII, 607: *sacrarium* (Iani) *Numa Pompilius fecerat. — — Quod Numa instituerat, translatum est ad forum transitorium.* Num luculentiores, antiquiores, concordiores auctores usquam

invenies? Num ultra procedere datur in eiusmodi quaestionibus?—At datur. Audiatur idem Servius, ubi adnotat ad Virgilii versum: *sunt geminae belli portae: Sacrarium hoc Numa Pompilius fecerat circa imum Argiletum iuxta theatrum Marcelli.* Iam omnis dubitatio praecisa est; constat idem fuisse templum Pompilii ad theatrum Marcelli ac Duilii in foro olitorio et ad unam hanc eandemque Iani aedem referendum esse quicquid ante Domitianum traditur de Iani fano. Monendi sunt lectores id non suspicari nos, sed ab optimis plurimisque veteribus auctoribus edoceri, ut ad eam rem tanquam certam et indubitatam varia alia atque dubia nostro iure revocemus. Iam Beckerus, ut ad eum redeam, quo se vertit? Duo templa fuerunt Iani antiquissima. Audio; est medicina haec eius auctoris fere solemnis. At quod somniavit de aede Iani sine simulacro (p. 259), quod Festum, quod Servium gravissimi erroris incusavit (p. 139 n. 199, p. 254 sq.), id vix condono homini philologo. Omnino constat fuisse aedem Iani, cuius portae pace parta claudebantur, extra portam Carmentalem, sed proxime ut supra vidimus, quem in locum egregie convenit Martialis distichon X, 28, 3:

Pervius exiguos habitabas ante penates,
Plurima qua medium Roma terebat iter.

Fuit enim Iani aedes (quod luculentissime apparet ex Ovidii verbis supra laudatis) non nisi ianus aliquis sive bifrons sive quadrifrons Dei statua ornatus. Ea, quam Numa fecit, fornix erat pervius ad portam Carmentalem applicatus, quo transibant omnes qui a campo Martio foroque olitorio venientes boarium Romanumve petebant; sane plurimi Romani medium iter ibi terebant neque ignoramus quam celebris fuerit porta Carmentalis. Quae Beckerum p. 255 n. 405 permoverunt, ut in foro Iani aedem collocaret, quanquam (p. 348) miratum, qui factum sit ut tam raro commemoraretur, minime cogunt in foro statuere aedem Iani. Seneca cum iocatur Apocol. p. 396 Ruhnk. Ianum esse disertum *quod in foro vivat,* cogitavit de tribus ianis, qui in foro fuerunt, omnino diversis ab aede Iani. Neque curamus quod scholiasta Cruquianus ad Hor. Sat. II, 3, 18 tres illos ianos male putavit tres statuas ianumque medium habet pro templo Iani. Deinde Ovidii verba aedem Iani *iunctam esse foris duobus* non indicant Ianum fuisse in confinio duorum fororum, sed iunctum duobus, quae iunctura ad vicos referenda est, praesertim cum Ianus quasi vicorum sit patronus. Iam cum per portam Carmentalem ex alia parte ad forum olitorium, ex alia per vicum iugarium ad forum Romanum iretur, rectissime dicebatur, qui stabat in utriusque vici principio Ianus, iunctus duobus foris. Difficilius explicatur, qua ratione aedes Iani ad portam Carmentalem fuerit *πρὸ τῶν θυρῶν τοῦ συνεδρίου* (Dio Cass. LXXIII, 13) vel, ut ait Procopius, *ἐν τῇ ἀγορᾷ πρὸ τοῦ βουλευτηρίου.* At quod collocatur a Procopio aedes Iani *ἐν τῇ ἀγορᾷ,* eodem iure excusandum est, quo

aedem Concordiae in foro sitam supra (V) excusavimus, praesertim in scriptore eius aetatis, qui accuratiora κριτήρια addidit et vocabulo ἀγορᾶς non aream tantum fori, quae ei videtur fuisse τὰ τρία φᾶτα, sed praeterea quoque aedificia publica foro continentia complecti potuit. Deinde quod dicitur aedes Iani fuisse ante portas curiae, primo gravius videbitur quam est re et natura loci perspecta. Cum foro chalcidicum, non curia ipsa adiaceret, ad hanc ascendisse puto senatores e regione vici iugarii, ut portis curiae aedes Iani ad portam Carmentalem opposita esset. Interiectum quidem erat aliquantum spatii, sed narratio Dionis recte procedit, modo a vestibulo curiae aedes Iani prospici potuerit, quod est verisimillimum. Iam enim aedicula aerea (Procop. l. c.) non solum erat in clivo locoque edito (XVI), sed cum ad ianum i. e. fornicem adiuncta esset, quod paullo ante vidimus, id ita factum esse videtur, ut in fornicis tectum aediculam imponerent; quare fornix est basis illa quadrata, de qua Procopius: ὁ δὲ νεὼς ἅπας χαλκοῦς ἐν τετραγώνῳ σχήματι ἕστηκε.—Quid mirum igitur, si Ianus dicitur fuisse ante portas curiae? Accuratius quidem locum eius definire periculosum est; in hac enim regione de nullo fere situ accurate constat. Ne ipsa quidem porta Carmentalis ibi videtur fuisse, quo Beckerus eam pingi iussit, sed propius ad S. Mariam della consolazione. Aedem Iani in imo monte venienti ex Urbe a dextra portae Carmentalis fuisse mox docebimus, ita collocatam, ut ex altera parte occasum, ex altera orientem intueretur (Procop. l. c. Ovid. Fast. I, 139). Curiam pone Graecostasin ad vicum iugarium sitam nihil videtur impedire, quominus ad S. Mariam della consolazione collocemus spectantem ad occasum et obiectam portae Iani ad orientem vergenti. Denique, ni fallor, eiusmodi situm indicat quod addit Procopius, esse aedem Iani ὀλίγον ὑπερβάντι τὰ τρία φᾶτα. Tria fata sive, ut ipse Procopius explicat, tres Parcae a Bunsenio et Beckero putantur fuisse tres Sibyllae, quas ex aere factas inter antiquissima monumenta *iuxta rostra* Plinius ait stare (XXXIV, 5, 11), neque equidem hoc negaverim, ut fecit Horkelius (*sulle tria fata*, Bullettino dell' instituto archeologico 1844 mense Ianuar.). Etsi enim coniectura incerta est, tamen, quam ipse comminiscitur p. 12 de aedicula quadam compitali dedicata *tribus fatis*, plane omni fundamento destituitur. Sed undeunde haec tria fata originem traxerunt, certum est ab Anastasio ecclesiis S. Martinae, S. Adriani, SS. Cosmae et Damiani tribui cognomen *in tribus fatis* et referri ab eodem de concione populi habita *in tribus fatis*. Unde verum vidisse puto Bunsenium (III, 2, 124) totum forum medio aevo ita dictum esse; nam qui sacram viam tantum ita appellatam putant, quoniam tres illae ecclesiae omnes in laeva parte fori sitae sint, oblivisci videntur in altera nullas ecclesias commemorari excepta S. Maria libera nos a poenis Inferni (hodie Liberatrice), quae aliunde cognomen traxit, neque *tria fata* vicum fuisse, cum populus in iis convenerit. Quod si igitur Procopius hoc dixit, templum Iani reperiri, cum paulo supra forum quis progrediatur, optime eum situm indicavit, quem nos supra templo adsignavimus.

XVI. Eiusdem aedis Iani, qui *pace latebat motisque armis recludebatur*, originem narrat Ovidius Fast. I, 259 sq. neque praetermittenda sunt, quibus ibi non obscure templi situm indicat. Interrogatus a poeta, cur coleretur una in aede ea quae iuncta sit foris duobus, respondet deus a Tarpeia olim portam urbis Saturniae Tatio esse apertam iamque regem clivo procedentem portam contigisse; tum fervido fonte recluso Sabinos se pepulisse. Qua re intellecta hanc portam Romanos postea claudi vetuisse belli tempore, quippe quae a deo defensa humana arte non indigeret (1), Ianoque ibi fecisse aram cum parvo sacello.—Porta ista urbis Saturniae, quam patefecit Tarpeia, fuisse ad montem Tarpeium ita constat, ut dubitare de ea re absurdum sit. Nam ut effigies Tarpeiae monstrabatur in aede Iovis Metellina (Fest. v. Tarpeiae p. 363), quae erat ad theatrum Marcelli (Becker p. 608), ut aquatum ivit virgo ad lacum Servilium subiectum monti Tarpeio, ita clivus portaque, qua Tatius aggressus est, ad eundem montem fuerunt. At eo ipso loco ad portam Carmentalem Iani aedem fuisse supra demonstravimus indicem belli pacisque, neque mediocriter nostra opinio Ovidii testimonio confirmatur. Iani ara ante portam, quam Tarpeia aperuit, sed proxime ab ea posita est (2); contigerat enim portam Tatius neque tamen intraverat, cum aquis intercluderetur. Cum eo componendum est quod supra vidimus, fuisse Iani aedem extra portam Carmentalem, sed prope abfuisse. Pertinuit igitur ea porta, de qua agitur, ad Carmentalem, id quod egregie confirmant Dionysii verba X, 14 a Beckero p. 120 reiecta quasi ineptissimae nugae: *διὰ τῶν ἀκλείστων πυλῶν (εἰσὶ γάρ τινες ἱεραὶ πύλαι τοῦ Καπιτωλίου κατά τι θέσφατον ἀνειμέναι· Καρμεντίνας αὐτὰς καλοῦσιν) ἀναβιβάσας τὴν δύναμιν εἷλε τὸ φρούριον.* — Ipsa quidem porta Carmentalis non erat, sed ea comprehendebatur, ut mox videbimus.—Sane mira est varietas earum rerum quae referuntur de porta ista nunquam clausa in monte Capitolino. Eam fuisse portam antiquae urbis Saturniae iam vidimus, quae cum ab ipso deo defenderetur eaque de causa belli tempore non clauderetur, propterea reclusa clausave belli pacisque index esset. Ita recensetur a Varrone V, 34 in portis intra Urbem: *tertia est Ianualis et ideo ibi positum Iani signum et ius institutum a Pompilio, ut sit aperta semper, nisi cum bellum sit nusquam* (3). Quod fuerit porta Ianualis intra Urbem ut explicem, addam

(1) Hoc significat versus: *Quae fuerat tuto, reddita forma loco est.*

(2) Non recte Beckerus p. 118 portam Ianualem aedemque Iani diversam esse negat; distinguendae sunt, quamquam saepissime confunduntur portaque cum ara Ianique simulacro dicitur Ianus geminus. Porta est Ianus, qui sustinet aram cum parvo sacello.

(3) De errore Macrobii, qui portam Ianualem sub radicibus collis Viminalis collocat (I, 9), post Beckerum p. 350 quod addam, non habeo. Lautulas sub Carinis, Ianum geminum in monte Tarpeio fabulosa antiquitas coniunxit; quam posteri ut corrigerent et aliquam veri speciem carmini induerent, alius finxit portam Ianualem in Viminali, alius Lautulas *quae fuissent* ad Ianum geminum (Varro V, 32), alius de duplici pugna cogitavit.

alteram fabulam Polyaeni Strateg. VIII, 25: Gallos in foedere cum Romanis icto cavisse, ut arcis porta una ne unquam clauderetur; Romanos ut periculum effugerent illaesa iurisiurandi religione portam fecisse patentem in monte praerupto. Apparet portam fuisse non in muro Serviano, sed ad eam partem, qua praeceps Capitolii rupes pro munitione erat, eaque de causa dici potuit intra Urbem, etsi item Saturniae urbis porta credebatur. Nam loqui Polyaenum de porta, cui alias Ianuali nomen erat, persuasum habeo, eandemque fuisse arbitror portam *Saturniam* antiquae Urbis Saturniae vestigium, postmodum appellatam *Pandanam*, quia semper pateret (Varro V, 7; Solin. I, 13; Paul. Diac. p. 220). Nam Saturnia oppidum fuit in monte Capitolino.—Tertia narratio est quae legitur apud Festum (v. Tarpeiae p. 363), Tatium in pace facienda cavisse cum Romulo, ut ibi semper pateret Sabinis, ubi Tarpeia eos recipere voluisset (1). Non est inepta; euntibus enim a Palatio ad Capitolium proxima via erat a porta Romanula ad Carmentalem (2).—Denique eodem pertinere videtur *porta scelerata*, per quam profecti CCCVI. Fabii ad Cremeram fluvium interfecti sunt; quo factum est, ut via haec infausta videretur et a religiosis hominibus fugeretur (Becker p. 138). Hanc portam Livius dicit II, 49 *portae Carmentalis ianum* (i. e. arcum) *dextrum*, Ovidius ita Fast. II, 201:

Carmentis portae dextra est via proxima Iano;
Ire per hanc noli, quisquis es; omen habet.

id est a dextra parte portae Carmentalis, venienti ab urbe scilicet, via est proxima Iani templo (3) infausta. Id tam bene convenit in portam Ianualem, ut, etsi paullo minus fabulosa haec narratio videatur, tamen ad commenta eam de porta ista semper pendente referre non dubitem. Porta Carmentalis cum esset sub monte in planitie, a dextra coniuncta ei erat porta Ianualis in imo monte sita, quam Ovidius a porta Carmentali quasi aliam portam separat, Livius dextrum eius fornicem facit, Dionysius minus accurate a Carmentali non distinguit. In ipso monte fuisse Iani aedem cum multa indicant, tum diserte dicit Ovidius describens viam qua ivit Tatius rex Fast. I, 263: *Inde* (a monte Capitolino), *velut nunc est, per quem descenditis, inquit, arduus in valles per fora clivus erat*. Arduo clivo itur per fora in valles, id est ab hac parte per forum Romanum in vallem infimum, ab altera per forum olitorium in Campum Martium, ut coniectura *in valles et fora*, quam de-

(1) Ita accipio verba obscura et aperte corrupta.
(2) Quomodo ii, qui portam Ianualem ad foedus Sabinum referebant, ad id ipsum applicaverint Iani aedem, intelligitur ex verbis Servii XII, 198: *Postquam Romulus et Titus Tatius in foedera convenerunt, Iano simulacrum duplicis frontis effectum est quasi ad imaginem duorum populorum*.
(3) Ita codd. meliores. Beckerus p. 138 n. 198 scripturam *dextro est v. p. Iano* contra Merkelium defendit.

fendit Beckerus p. 349 n. 654, minime necessaria videatur. — Quae si satis probabiliter disputavimus, mirantibus nobis miram illam varietatem narrationum cum fabulosarum tum historicam speciem prae se ferentium, quae ita in diversa plane et contraria abeunt, ut sollertissimo etiam antiquorum testimoniorum conciliatori desperandum sit, haec, inquam, mirantibus apparebit tamen omnibus subesse certus locus certaque res: aedicula Iani cum porta nunquam clusa, quae fabulis istis originem dedit, ut nubes attrahuntur a cacumine montis. Quae observatio fortasse maioris momenti erit quam accurate scire, ubi fuerit aedes Iani; multi enim hodie ignorare videntur a vulgo non corrumpi solum historiam, sed multa etiam nova confingi. Omnino iis, qui de rebus antiquissimis quaerunt, auctor sum, ut legant, quae scribunt mirabilia urbis de caballis marmoreis, quare facti sint, atque de cocovaia in equo Constantini; fortasse lectis festivis his commentis minus severi erunt in antiquissimos Romanorum fabulatores.

XVII. Aedem Iani Numa fecit *ad infimum Argiletum* (Liv. I, 19.) sive *circa imum Argiletum iuxta theatrum Marcelli* (Serv. ad Virg. Aen VII, 607). Beckerus p. 253 sqq. multis verbis probare studet Argiletum fuisse regionem inter Quirinalem montem et Capitolinum, acriter invectus in Servium levissimum auctorem, acrius etiam in topographos caece eum secutos. Nobis communis opinio verior videtur Argiletum ibi fuisse, ubi mons Capitolinus ad Tiberim vergat. Omnino pendet situs Argileti ex quaestione de aede Iani supra exposita, et si recte statuimus Iani templum, quod solum Romae erat ante Domitianum, fuisse supra portam Carmentalem, decisum est etiam de Argileto. Restant tamen argumenta quaedam cum afferenda tum refutanda, et haud scio annon demonstrari possit, etiamsi nihil accepissemus de Iani aedicula, tamen quae traduntur de Argileto minime suffecisse, ut Servius tanti erroris incusaretur. Nam primum quod ait Martialis I, 17:

Tonstrix Suburae faucibus sedet primis,
Cruento pendent qua flagella tortorum
Argique letum multus obsidet sutor,

id, si Beckerum audis, ita probat Argiletum fuisse Suburae vicinum, ut ne controversia quidem de ea re esse possit. Equidem quod simpliciter posuit, non minus simpliciter nego; si me audis, tanta est coniunctio Suburae cum Argileto, quanta tonstrici cum sutore.—Paullo gravius est, quod efficitur ex tribus epigrammatis, quibus idem poeta ubi prostaret liber indicavit:

I, 4, 1: Argiletanas mavis habitare tabernas
Cum tibi, parve liber, scrinia nostra vacent?

I, 118, 9. Argi nempe soles subire letum.
Contra Caesaris est forum taberna
. . . .
Illinc me pete—ne roges—Atrectum,
Hoc nomen dominus gerit tabernae.

I, 3, 5 Ne tamen ignores ubi sim venalis et erres
Urbe vagus tota, me duce certus eris.
Libertum docti Lucensis quaere Secundum
Limina post Pacis Palladiumque forum.

Verum est, cum in eodem libro inveniantur, facile cogitari posse de eadem taberna, ubi epigrammata prostarent; neque tamen cum Beckero eum, qui Secundum illum ab Atrecto diversum esse putat, sanae mentis esse negaverim. Imo haud placet coniunctio duorum cognominum *Atrecti Secundi* neque absurdum est Martialem librum suum duobus bibliopolis dedisse vendendum, quorum uterque cum suum epigramma postularet, in principio alterum, alterum in calce collocaret poeta. Equidem his versibus vix coniecturam superstruere ausus essem, si deessent alia testimonia, certe ad refutanda haec iis non abutar. De Caesaris foro postea videbimus; hoc addendum est, aliunde constare fuisse tabernas librarias in ea parte urbis, ubi nobis est Argiletum (Horat. epist. I, 20, 1: *Vertumnum Ianumque, liber, spectare videris*. Cf. Becker p. 308. 342 489.).—Denique utitur vir doctissimus loco Virgilii VIII, 345, ubi Evander Aeneae futuram Urbem demonstrat:

Vix ea dicta: dehinc progressus monstrat et aram
Et *Carmentalem* Romano nomine *portam*
— — —
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer *asylum*
Rettulit et gelida monstrat sub rupe *Lupercal*
— —
Nec non et sacri monstrat nemus *Argileti*
Testaturque locum et letum docet hospitis Argi.
Hinc ad *Tarpeiam sedem* et *Capitolia* ducit.

Quod Beckerus adnotavit, cum Evander per portam Carmentalem ingressus Argiletum monstret, id non fuisse ad theatrum Marcelli ante portam Carmentalem, verum est, at non ibi Argiletum fuisse putamus, sed supra Carmentalem portam in monte Capitolino (1). Ita ingresso per hanc portam a laeva fuit, ut a dextra Lupercal in Palatino, omniaque recte procedunt. Contra quomodo Evander, antequam ad Tarpeiam sedem perveniret, comiti vallem inter montes Capitolinum et Quirinalem situm monstrarit, Beckerus adnotare oblitus est. Ei non multum tribuo, quod Varro V, 32 coniungit Lautulas, Aequimelium, ad busta Gallica, Doliola, Argiletum; etsi enim excepto loco ad busta Gallica, qui ubi fuerit ignoratur (Becker p. 485), omnia inter Capitolium et Tiberim fuisse probari potest—Lautulas scil. veteres illas ad sedem Iani, Aequimelium infra vicum iugarium (Becker p. 485), Do-

(1) Videndum est, ne nemus Tarpeium, de quo supra exposuimus (XIII), ab Argileto non sit diversum.

liola ad cloacam maximam (Becker p. 484), Argiletum denique supra aedem Iani—tamen bene animadvertit Beckerus p. 260, a Varrone hic similia potius quam coniuncta loco componi. At non opus est hoc testimonio. Satis constat non Servium de Argileti situ erravisse, sed Beckerum.

XVIII. Tabernam Argiletanam, in qua libri epigrammatum essent venales, ait Martialis fuisse *contra forum Caesaris*. Quod Beckerus p. 367. interpretatus est forum Caesaris eius, qui tum regnabat, id est Domitiani, ut significetur forum transitorium. Explicatio minime est inepta; sed rectius in carmine, quo lectori iter ad librarium pedestri quasi sermone indicatur, nomina ponebantur vulgaria atque Caesaris forum id dicebatur, quod vulgo ita appellari solebat, id est forum Iulium. Certe nobis, cum Argiletum nostrum et forum transitorium longe distent, Beckeriana illa interpretatio adempta est et ea sola relicta, quae est simplicior. Videamus igitur, ubi fuerit forum Iulium. Quod si recte Beckerus posuisset a sinistra fori prope viam quae dicitur de Marforio, valde haereremus; at argumenta, quibus hoc studet ostendere, cum omnia infirma sunt, tum debilissimum est, quod primo loco posuit ex notitia desumtum, quae ita in reg. VIII fora recenset: *atrium Minervae. forum Caesaris. Augusti. Nervae. Traiani. templum Traiani et columnam.* Fora omnia, ubicunque fuerunt, coniungi quis non videt, neque ex ordine locorum recenseri, sed ut deinceps facta sunt ab imperatoribus? At gravius peccavit Beckerus in his verbis interpretandis p. 375, cum iungens ita: *forum Caesaris. Augusti. Nervae Traiani* et addens, a notitia *forum transitorium* i. e Nervae in reg. IIII nominari, ita separari regiones putaret, ut quarta foro Nervae, octava tribus aliis foris terminaretur. Quod nobis praetermittendum non est, cum ad forum bene definiendum maxime faciat regionum fines recte constituisse. Iam ut alia omittamus, coniunctio illa *Nervae Traiani* artificiosa est et minime apta; quis enim unquam forum Traiani significaturus locutus est de foro Nervae Traiani? Deinde in epitoma eadem plane ratione componuntur fora *Caesaris. Augusti. Nervae. Traiani*, neque nominatur forum transitorium, unde Beckerus eundem illum, qui forum Traiani dixerit *forum Nervae Traiani*, omisisse forum transitorium seu Nervae statuit (p. 716)! Beckerum rationes allaturum esse putabis, excusaturum se, coactum ita se interpretari. Quid ille? « Contra omnes codices omnesque editiones tacite Bunsenius post *Nervae* interpunxit, quod exemplum esto quanta cum religione topographi in istis rebus versati sint ». Equidem, qui non sum philologus, quid sit interpungere contra codices editionesque omnes, cupio discere a viro philologo. Indignum est eum virum, qui in hac re certe modeste et ratione libros antiquos tractavit, propter id ipsum acerbe vituperari ab Aristarcho in ipsa reprehensione turpiter lapso. Quousque ferenda est insolentia iste cum iniquitate coniuncta? et quonam, quaeso, abiit hominum litteratorum liberalitas et dignitas? Sed ad rem revertamur. Cum constet et forum transitorium a Nervae foro non differre (Becker p. 374),

et forum id a notitia cum in quarta tum in octava regione nominari, sequitur finem regionum separasse medium forum; quod cum prima cogitatione absurdum videatur, tamen optime procedit re diligentius cognita. Nam bene Niebuhrius animadvertit forum Nervae a vico quodam, qui per medium transiret, appellatum esse pervium sive transitorium ideoque fornicem, per quem intrabatur, saeculo XVI adhuc exstantem, in imagine Du Peracii visi ingentem multoque solito ampliorem. Assentitur Beckerus (p. 376). Iam si ponimus illum vicum, qui per forum Nervae transibat, separasse regiones IIII et VIII, optime explicatur, cur a notitia in regionum finibus constituendis id bis describatur. Quin quod inde repeti possunt *duo fora Nervae* in mirabilibus (effem. III, 382) commemorata, cum ipse Martialis dicat de Iano Quadrifronte, qui erat in medio foro transitorio: *fora tot numeras, quot ora geris* (X, 28, 6). Unde Ianum hunc in quadrivio fuisse puto et praeter eam viam, de qua disputavimus, alteram etiam pervium forum transisse, qua ibatur a foro Traiani ad templum Pacis. Quae res maxime facit ad fori imaginem bene repraesentandam; cum enim fori transitorii vestigia hodieque visantur, vicus qui erat inter reg. VIII et IV accurate pingi potest, et ita et basilica Aemilia et alia multa cum aliqua certitudine determinari. Denique cum forum Nervae ad VIII. quoque regionem pertineret, iam facile intelligitur, cur atrium Minervae hoc loco a notitia commemoretur; fuit enim pars templi Minervae clarissimi in foro transitorio, cui indê etiam Palladio nomen erat. Inde factum est, ut extra ordinem atrium cum foris coniungeretur; erat enim quasi pars fori transitorii. Eadem ratione notitia in reg. IX theatris, quae omnia uno loco recensentur, cryptam Balbi item extra ordinem adiunxit quasi ad Balbi theatrum pertinentem.

XIX. At alio paene delati sumus, quam quo cursum institueramus, ad forum Iulium. Beckerus praeter notitiam provocat cum ad epistolam Ciceronis ad Att. IV, 16, tum ad narrationem Palladii, se vidisse inter vicum, qui dicitur *salita di Marforio*, et forum Augusti vestigia templi antiqui intercolumniis ita exiguis, ut similia nondum observasset. Id templum Beckero videtur fuisse aedes Veneris Genitricis in foro Iulio, quam inter templa pycnostyla nominat Vitruvius III, 3, 2: *quemadmodum est divi Iulii et in Caesaris foro Veneris et si quae aliae sic sunt comparatae*. At cum Vitruvius iam eiusmodi complures novisset, quot postea pycnostyla fana fabricata esse putandum est spatio magis magisque coarctato?—Quod attinet ad epistolam, ita Cicero scribit: *Paullus in medio foro basilicam iam paene texuit iisdem antiquis columnis; illam autem quam locavit facit magnificentissimam. Quid quaeris? nihil gratius illo monumento, nihil gloriosius. Itaque Caesaris amici (me dico et Oppium, dirumparis licet) in monumentum illud, quod tu tollere laudibus solebas, ut forum laxaremus et usque ad atrium Libertatis explicaremus, contemsimus sexcenties HS. Cum privatis non poterat transigi minore pecunia. Efficiemus rem gloriosissimam, nam in campo Martio septa tributis comitiis marmorea su-*

mus et tecta facturi rei. Beckerus cum de his verbis difficillimis antea (p. 302) dubitasset, postremo p. 459 sq. quatuor aedificia diversa ibi commemorari arbitratus est basilicam Paulli (*Paullus—columnis*), basilicam Iuliam (*illam—gloriosius*), forum Iulium (*Itaque—pecunia*), septa Iulia (*efficiemus sqq.*). De basilicis verum vidisse Beckerus videtur, sed de ea re nunc non quaerimus; nostra interest, quod forum Iulium hic se reperisse putat, neque id stare potest cum nostra de Caesaris foro sententia. Atrium enim Libertatis fuisse vicinum villae publicae in Campo Martio, ubi nunc est palazzo di Venezia, Beckerus bene demonstravit (p. 458 cf. 625); quare si ad id pervenit forum Iulium, certe non ibi fuit, ubi nobis fuisse videtur. Quanquam non intelligo, qua ratione ipsum Beckeri forum Iulium dici possit explicatum usque ad atrium Libertatis; longe enim distat. At nihil indicat apud Ciceronem pergi ad aliam rem a verbo *efficiemus*; imo simplicissimum est quicquid sequitur verba *Itaque Caesaris* referre ad septa Iulia. Forum dici ea non mirum est, cum comitiis tributis, quae adhuc in foro fiebant, destinarentur. Septis Iuliis denique egregie convenit explicata ea esse ad atrium usque Libertatis, cum villa publica septorum pars (Cic. l. c.) adiaceret atrio.—Ita falsis argumentis remotis superest, ut nostra afferamus, quod paucis fieri potest. Catalogus imp. Vienn. T. II, p. 247 (vide supra XIV in fine) simul arsisse ait curiam, forum Caesaris, basilicam Iuliam, Graecostadium. Iam cum curia, Graecostadium, basilica omnes ad forum sub Capitolio Tiberim versus essent, contiguum his forum Caesaris eadem parte fuisse consentaneum est. Porro Martialis tabernam in Argileto, id est in imo monte Tarpeio versus forum dicit *contra Caesaris forum*, quod superioribus bene convenit. Non minus apte ad hunc locum refertur, quod ait Plinius XVI, 44, 86 *altera lotus in Vulcanali—radices eius in forum usque Caesaris per stationes municipiorum penetrant*. Vulcanale a dextra arcus Severi erat; quare si porrigebantur radices ad dextram partem per viam novam pervenire potuerunt usque ad forum Iulium, quod, etsi accuratius locum ignoramus, tamen fere inter vicum iugarium curiamque Iuliam fuisse crediderim. Quanquam etiam ei loco, in quo Beckerus forum Caesaris collocavit, hoc convenit; tum lotus ad laevam radices egisse putanda est.—Ceterum *stationes municipiorum* nisi hoc loco non memorantur (cf. tamen Suet. Nero 37); at si recte cetera ordinavimus, dubitari non potest quin fuerint inter Graecostadium atque novam viam videturque similis locus fuisse a comitio substructus, ubi consisterent, qui municipes Romae morabantur, uti nationum legati in Graecostadio (1).—Tum recte se habent, quae Tacitus refert Ann. XVI. 27: *postera luce duae praetoriae cohortes armatae*

(1) Arcus Constantini post arcum Severi et Vulcanale monstrat arcum alium, deinde aedificium arcubus superstructum, quod bene convenit Graecostasi Iuliae. Arcum secundum novae viae superpositum esse existimo, ut Severi sacrae; qui fuerit, ignoratur: nam qui eum Tiberii esse dicunt factum *propter aedem Saturni* (Tac. Ann. II, 41 Becker p. 345), ut omittam quaeri posse, num hic locus recte dicatur *propter Saturni*, obliti sunt, quod ait Suetonius Claud. 11: *Ti-*

templum Genitricis Veneris insedere. Aditum senatus globus togatorum insederat non occultis gladiis dispersique per fora ac basilicas cunei militares, inter quorum aspectus et minas ingressi curiam senatores. Apparet curiam fuisse contiguam aedi Veneris, id est foro Iulio, quod cum Beckeri rationibus obstaret, audacter magis quam feliciter curiam esse ipsam aedem dixit (p. 369 n. 700). Ex nostra opinione omnia recte procedunt: milites alii intra fori Iulii muros consederunt, alii per fora, id est boarium Romanumque et basilicas, id est Semproniam et Iuliam, dispersi sunt, togati cum armis ad curiam constiterunt.—Denique forum Caesaris duodecimo etiam saeculo nomen retinuisse videtur. Ita enim ordo Romanus a. MCXLIII. (Mabillon mus. Ital. II. p. 143): *prosiliens ante S. Marcum* (palazzo di Venezia) *ascendit sub arcu manus carneae* (1) *per clivum argentarium* (salita di Marforio) *inter insulam eiusdem nominis et Capitolium, descendit ante privatam Mamertini* (carcerem), *intrat sub arcu triumphali* (Severi) *inter templum fatale* (S. Martina) (2) *et templum Concordiae, progrediens inter forum Traiani et forum Caesaris, subintrat arcum Nerviae* (in foro Nervae) *inter templum eiusdem deae et templum Iani, ascendit ante asylum* (S. Cosmas? Cf. tamen Mirab. III, 379) *per silicem* (sacra via), *ubi cecidit Simon Magus iuxta templum Romuli* (S. Cosmas sive aedes Romae et Veneris Mirab. I, 70), *pergit sub arcu triumphali Titi et Vespasiani, qui vocatur septem lucernarum.* Neque alii (cf. Beckerum p. 377 n. 717) haec explicuerunt neque possum ego ita, ut

berio marmoreum arcum iuxta Pompeii theatrum decretum quidem olim a senatu, verum omissum peregit.—Stationes municipiorum videntur in hac pictura Vulcanali esse comprehensas, quod totam fori partem Capitolio subiectam occupat; fortasse cancelli, qui sunt intuenti a laeva, vacuo cancellis spatio separati ab iis qui sunt propius ad arcum Severi, ad municipiorum stationes pertinent. Ad eundem arcum, qui male Tiberii putatur, pertinet quod aiunt Mirab. III, 383: *Post S. Sergium templum Concordiae, ante quod arcus triumphalis imus.— Ex alia parte fuit arcus miris lapidibus tabulatus, in quo fuit historia qualiter milites accipiebant a senatu donativa sua per sacellarium, quod administrabat hoc que (scr. qui) omni pensabat in statera, ante quam darentur militibus. Ideo vocatur Salvator de statera.*

(1) Qui fuerit, ignoratur; non tamen videtur diversus esse ab *arcu argentario*, in prima Marinii papyro anni fere DLXX. p. Chr. ita commemorato: *inde itur iuxta ecclesiam S. Marcelli* (S. Marcello nel Corso) *et deinde recto itinere producitur per viam, quae est sub monte Tarpeio usque ad arcum argentariorum;* quam notitiam amicis debeo. Erat arcus ille sub monte, ubi a via lata in Capitolium ascendebatur, in extremo clivo argentario, neque video cur in documento satis antiquo genuinum arcus nomen servatum esse negemus. Argentarii, qui in basilica Porcia stationem habebant, in vico suo ultimo eum collocaverunt Imperatorem aliquem honoraturi, ut argentarii et negotiantes boarii de foro boario Septimio Severo in confiniis fori eius arcum fecerunt, qui adhuc exstat.

(2) Mirab. effem. III, 383 *ante aedem privatam Mamertini templum Martis — iuxta eum templum fatale in S. Martina.* Cf. I, 67 *arcus Caesaris et senatorum inter aedem Concordiae et templum fatale.* Horkel sulle tria fata p. 11.

omnia satisfaciant, interpretari quasi aegri somnia. Mirum sane est, quod, nisi intratur in forum Nervae, tamen id tangitur procedendo ab arcu Severi ad S. Cosmam; sed ferri potest—haec enim Urbis pars eo tempore vicis privatisque aedificiis minime carebat—templumque Nerviae a laeva trahi ad templum Minervae in foro, templum Iani a dextra ad Ianum medium ita iam in scholiis Horatianis appellatum et in foro dudum superstitem (*Canina* indicaz. topograf. p. 167). Facilius etiam explicatur, quod nostra interest, procedi, cum ventum sit per arcum Severi, inter forum Traiani et forum Caesaris; qui erat in capite fori, a laeva Traiani, a dextra Caesaris forum habebat, quo nomine fortasse tum comprehendebantur omnes istae Iuliorum tectorum, basilicae, curiae, fori, Graecostadii ruinae in dextro fori latere prope collocatae. At missa faciamus, quae medio aevo commenti sunt homines indocti. Nolo enim bonum otium terere in colligendis aliis fabellis de Iani templis atque Caesaris Nervaeque foris iisque cum summo legentium taedio meoque maiori etiam explicandis; non enim sine animi dolore in istis sordibus splendidae antiquitatis vestigia rimamur. Neque opus esse videtur solidis argumentis nostris ea adiungere, quae verbo quis reiicere possit. Itaque hunc finem esse volumus quaestionum harum topographicarum. Unum est addendum, quod, etsi apertum, tamen dicendum est, ne sedulo tacuisse id videamur; omnem doctrinam multam sane et variam, quae subinde appareat in hoc libello, non nobis deberi, sed universam sumtam esse a Beckero, qui tanta diligentia auctorum loca ad hanc rem facientia collegit, ut facilius sit mirari quam imitari. Quod grato animo profitemur, non excusamus; non enim sibi haec paravit, sed omnibus. Praeterea scripta sunt haec Romae, id est et in summa temporis angustia et in maxima paucitate librorum. Factum est igitur, ut saepe in rebus iudicandis, ubi, causa instructa, ad consilium de ea re postquam relatum est, iterum ex actis referre solet de eadem re alius. Causam instruxit Beckerus; retulimus uterque. Uter verum viderit, iudicium esto penes viros doctos et Romanos et Lipsienses.

In Capitolio anni 1845 mense Ianuario.

Cum scripta haec essent et prelo parata, post aliquot menses liber, quem contra Beckerum scripsit Urlichs Bonnensis, Romam perlatus est. In quo, quamquam in summa re adversarios habemus et Beckerum et Bunsenium cum suis, quorum in bello isto, si Diis placet, topographico de foro et Capitolio summa est concordia, invenimus tamen quaedam, quae ad nostras res pertinebant, recte notata et diligentius interdum, quam factum erat a nobis, exposita; quibus libenter, quae a nobis parata erant, auxissemus, modo id per eius libri naturam recte et honeste fieri potuisset. Laesum esse auctorem a Beckero acerbo semper, saepe iniquo censore quoniam non uno loco diximus, id quoque non dissimulabimus, huius libri scriptori ne eam quidem excusationem esse profuturam, quod scripserit lacessitus. Defensio flagitat et dignitatem et fidem; ubi sola doctrina apparet, ea uti nos non sustinemus.

Mense Aprili 1845.

EXPLICATIO TABULAE ADIUNCTAE.

A. Templum Iovis O. M.
B. Tabularium.
C. (Curia Hostilia antiqua).
D. (Senaculum) Aedes Concordiae.
E. Carcer Mamertinus.
F. (Curia Hostilia Sullae). Arcus Severi.
G. Basilica Porcia s. argentaria.
H. Vulcanal (Graecostasis antiqua-stationes municipiorum).
I. Graecostasis Iulia.
K. Lacus Servilius.
L. Aedes Iani.
M. Curia Iulia.
N. Basilica Iulia.
O. Basilica Sempronia.
P. Aedes Castoris.
Q. Aedes D. Augusti.
R. Aedes Minervae.
S. Aedes Vestae.
T. Rostra reipublicae.
U. Rostra imperatoria.
V. Aedes D. Iulii.
X. Basilica Aemilia.
Y. Ianus quadrifrons.
Z. Templum Faustinae.
a. Clivus Capitolinus.
b. Vicus iugarius.
c. Porta Carmentalis.
d. Vicus ad forum boarium.
e. Vicus Tuscus.
f. Nova via.
g. Sacra via. (sub novis).
h. Sub veteribus.
i. Vicus inter regiones IIII, et VIII.
k. Aedes Remi.
l. Basilica Constantini.
m. Arcus Titi.

IMPRIMATVR

Fr. D. Buttaoni Ord. Praed

S. P. A. Magister

IMPRIMATVR

J. Canali Patriarcha Constantinop.

Vicesg.


Ann. 1844.
Theatrum Marcelli
Forum Olitorium
L
c
b
Forum Boarium
Forum Julium
M
O
e
PALATINVS MONS

X.

Römische Urkunden.

Von

Herrn Professor Dr. Mommsen

in Leipzig.

I. Edict Augusts über die Wasserleitung von Venafro.

Die vorstehende Inschrift, wovon ich Z. 34—46. im Bullettino dell' Inst. 1846 p. 164. publicirt habe, befindet sich in Venafro in einer Masserie vor der Stadt. Den Stein, von dem ich später auch eine elende, gänzlich unbrauchbare Abschrift in der handschriftlich mir in Venafro mitgetheilten storia Venafrana des Doctors Cosimo de Utris († 1834, 84 Jahre alt) antraf, fand ich überquer vermauert an der Außenseite eines Bauerhauses, dessen Sitzschwelle den größten Theil der Schrift verdeckte. Da die Schwelle nicht wohl ganz beseitigt werden konnte, erlangte ich wenigstens, daß man sie längs der Mauer wegbrach und ich so den Stein zu säubern und einigermaßen zu lesen im Stande war. In einer Art Grube hatte ich bei der ungünstigsten Beleuch-

tung und ein- für allemal den mit kleinen, wenngleich guten Buchstaben geschriebenen und fast gar nicht (außer bei Abkürzungen) mit Interpunction versehenen, überdies im höchsten Grade verwitterten Stein zum ersten Mal zu copiren; was ich bemerke, theils damit man wisse, daß wiederholte Untersuchung dieser Inschrift sicher nicht ohne Resultat bleiben wird, theils damit die von mir begangenen Fehler billig beurtheilt werden mögen. Immer ist das, was ich zu lesen vermochte, nicht unbedeutend, und ich glaube versichern zu dürfen, daß ich, wenn auch nicht alles, was sich noch entziffern läßt, gelesen, doch das, was ich gelesen, im Ganzen richtig gelesen habe; wogegen die Bestimmung der Größe der Lücken an einigen Stellen mangelhaft ist. Die Tafel giebt genau den Text, wie ich ihn in Venafro abschrieb; meine Ergänzungen und Verbesserungen werde ich im Verlauf dieser Erörterung mittheilen.

Daß Venafrum, an der Grenze von Campanien und Samnium belegen, und nach Ausweis der Inschriften in der späteren Provinzialverfassung nicht dem Consular von Campanien, sondern dem Rector von Samnium untergeben, nicht Municipium war, sondern Kolonie, ist bekannt. Daß es zu den 28 Kolonien gehörte, die August in Italien gründete, ist eine alte Vermuthung von Sigonius (de iure Ital. L. 3. c. 4.), die sich jetzt durch zwei Inschriften bestätigt, welche der Kolonie die Namen Iulia und Iulia Augusta beilegen. Die eine, die Gabriele Cotugno (memorie storiche di Venafro. Nap. 1824. 8. p. 83.) aus der erwähnten

Handschrift des de Utris schöpfte, lautet: VECT*igal* COL*onorum* COL*oniae* IVL*iae* VENAFRI (IVI und VENAER hat de Utris Manuscript mit beigefügtem *sic*); die zweite (Cotugno p. 277.) sah ich selbst in Venafro:

*ad ornandam coloni*AM. IVL. AVGVI *nafrum imp. Caesar August. pro parte di*MIDIA. P. S. P. C ID*emque probavit reliquum pec. pub*:..ICA. FACTVM. E*st*

Der Erneuerung der Mauern von Venafro gedenkt eine dritte Inschrift, welche nicht vor die Gründung der Colonie fallen kann, da sie nicht Quattuorvirn, sondern schon Duumvirn nennt, und nicht nach der ersten Hälfte von Augusts Regierung geschrieben zu sein scheint, da sie zahlreiche Archaismen enthält; sie gehört ohne Zweifel einem der ausgedienten Offiziere, die nach Venafro deducirt und dort die ersten Duumvirn und Präfecten wurden, was z. B. auch von Sex. Aulienus (Grut. 370, 1.) gilt. Der jetzt abgemeißelte und fast unlesbare Stein ist uns durch de Utris erhalten, aus dessen Handschrift er nicht ohne Fehler von Cotugno p. 267. und danach von Avellino opusc. 2, 285. publicirt ward:

C. ACLVTIVS L. F. TER. GALLVS
DVOVIR. VRBIS. MOENIVNDAE. BIS
PRAEFECTVS. IVREDEICVNDO. BIS
DVOVIR. IVREDEICVNDO. TR. MIL
LEGIONIS. *pr*IMAE [1]). TR. MILITVM
LEGIONIS. SECVNDAE. SABINAE

---

1) XI. IMAE de Utris.

Demnach dürfte Venafro zu den ersten 18 Kolonien gehört haben, deren Gründung August schon im Jahre 712 in Angriff nahm (App. b. c. 4, 3.).

Von den Anordnungen, die Augustus für Venafrum traf, hat uns die eine der liber coloniarum (p. 239. Lachm.) erhalten: summa montium iure templi Ideae[2]) ab Augusto sunt concessa — woraus Sigonius scharfsinnig schloß, daß er auch die Kolonie deducirt habe. August stattete also eine Gottheit in Venafro mit Ländereien aus; aber daß sich hierauf seine Fürsorge nicht werde beschränkt haben, konnte man schon aus Sueton (Aug. 46.) schließen, wonach er die von ihm gestifteten Kolonien mit mancherlei öffentlichen Bauten und Renten bereicherte (operibus ac vectigalibus plurifariam instruxit). Zu diesen Werken gehörte, wenn wir recht vermuthet haben, dasjenige, an welchem sich die eben erwähnte Inschrift *ad ornandam coloniAM* befand. Bedeutender aber und uns bekannter ist die Anlage einer gewaltigen Wasserleitung[3]), die, wenn den

---

2) deae hat der Arc.; vielleicht Dianae? Vgl. auch Orell. 1460.: — Vespasianus — fines agrorum dicatorum Dianae Tifat. a Cornelio Sulla ex forma Divi Aug. restituit (nach meiner Abschrift). Eine Dedication der Höhen von Venafro an die mater magna durch August ist nicht wahrscheinlich.

3) Dabei ist es auffallend, daß wenigstens das heutige Venafro vortreffliches Wasser hat, aus dem fiume di Venafro, einem kleinen auf dem Berge, an dessen östlichem Abhange Venafro liegt, sich bildenden Rinnsal; König Ferdinand IV. ließ sich sogar das Wasser aus der fontana della grotta bei Venafro überall hin nachführen (Giustiniani diz. top. X. p. 26.). Ob die

Berichten der Neuern zu trauen ist (Cotugno p. 255. Corcia storia delle due Sicilie II, 49.), in einer (gleichen?!) Höhe von 7 und einer Breite von 3 neap. Palmen das Wasser der Volturnusquellen 14 Miglien weit her in die Stadt führte. Man hat den Zug des Aquäducts verfolgt von der Höhe über dem colle de' Vescovi (vor der Stadt unter S. Maria dell' Oliveto), wo er durch den lebendigen Fels gebrochen ist, über die Höhen von Ravindola, Montaquila, S. Paolo, durch das Thal der Abtei bis zu den Quellen des Volturnus. Von den gleich zu erwähnenden Grenzsteinen dieser Wasserleitung, deren vier bekannt sind, sah ich den einen bei der Stadt selbst in der Masserie di civita nuova, den zweiten de Utris auf dem colle de' Vescovi, den dritten Monachetti[4]) in dem Dorfe Puzzilli, zwei Miglien von Venafro, den vierten derselbe Monachetti in dem Oertchen Colli am oberen Lauf des Volturno. Hiernach wird man auf den besseren Karten (z. B. der von Rizzo Zannoni) den Lauf der Wasserleitung zu verfolgen im Stande sein; wenn die Berichte nicht ganz trügen, war es ein großartiger Bau, der neben den römischen genannt zu werden verdiente. — Wenden wir uns zu den schriftlichen Kunden, die von diesem Aquäduct erhalten sind, so begegnen uns zu-

alte Stadt höher lag als die heutige oder ob das Wasser für die zahlreiche Einwohnerschaft nicht ausreichte, weiß ich nicht.

4) Memorie istoriche di Venafro 1693, ungedruckt (vgl. Giustiniani diz. top. X. p. 25.), Cotugno's Hauptquelle. Ich sah die Handschrift in Venafro.

vörderst eine Anzahl Marksteine mit durchaus gleichförmiger Inschrift (Murat. 441, 5. Cotugno p. 255.), welche ich nach dem mir zu Gesicht gekommenen Exemplar hier folgen lasse:

IVSSV. IMP. CAESARIS
AVGVSTI. CIRCA. EVM
RIVOM. QVI. AQVAE
DVCENDAE. CAVSA
FACTVS. EST. OCTONOS
PED. AGER. DEXTRA
SINISTRAQ. VACVVS
RELICTVS. EST

Diese Marksteine sind wesentlich verschieden von denen der römischen Wasserleitungen in der augusteischen Epoche, welche den Namen der Leitung (diesen jedoch nicht immer), den Namen des Kaisers, der den Stein errichten ließ, und die Zahl der iugera pedum CCXL angeben, welche zwischen dem Punkt, wo das Wasser in Rom vertheilt ward, und dem, wo der Stein aufgestellt war, sich befanden. Dies sind die terminatus, welche zu verbauen die lex Quinctia verbietet (*verb.* Si quis circa rivos). Solcher Steine finden sich mehrere bei Grut. 176, 3. 5. 1019, 10. Fabretti inscr. 660, 506—512. und besonders de aquis p. 111 sq.; den folgenden habe ich in Tivoli im Hause Sabbi-Colonna copirt:

IMP. CAES...
DIVI. F.
AVGVSTVS
EX. S. C.
ↀCↃ⊥II. P. CCX⊥

Von solchen Steinen kam einer auf jede 240 Schritt; dagegen scheinen die von Venafro nicht in bestimmten Intervallen aufgestellt worden zu sein, weil die nach den Grundsätzen der römischen Feldmeßkunst alsdann unerläßliche Angabe der Entfernung bis zum nächsten ähnlichen Steine fehlt. Sie standen vielmehr wohl nur da, wo man eine Usurpation des Wasserweges fürchtete, worauf auch deutet, daß sie sich nur bei Venafro selbst und in den Dörfern, durch die die Wasserleitung passirte, gefunden haben. Da, so viel wir sehen, das Regulativ die Setzung derselben nicht gebot, wird man dieselbe wohl nur, wo es besonders nöthig schien, zu größerer Vorsicht angeordnet haben. Von dem Regulativ des Aquäducts, aus dem diese Inschrift offenbar extrahirt ist [5]), hat sich nun in Venafro der vollständige Text gefunden, wie die wörtliche Uebereinstimmung von Z. 18. 19. der größern Inschrift mit den Worten des Extracts beweist. Wir wenden uns jetzt zur Erörterung dieses neuen Textes.

Die Ueberschrift, die aus drei Zeilen bestand, von denen die beiden ersten größere Schrift gehabt zu haben scheinen, ist verloren bis auf das Wort VENAFR in Z. 3.; somit würden wir den Urheber der Verordnung nicht kennen, wenn nicht die kürzere Inschrift uns in den Worten

5) Und zwar noch zu Augustus Lebzeiten, wie das fehlende DIVVS beweist, ohne Zweifel gleich bei der Anlage des Aquäducts. Doch wäre es möglich, daß die auf uns gekommenen Exemplare restituirte sind; wenigstens ist VACVVS für VACVOS (vgl. RIVOS in der größeren Inschrift Z. 42.) in einer augusteischen Inschrift auffallend.

